This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lo
10
762

Sp 10.762

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 24 Dec., 1889.

9379

QUAESTIONUM
AD
HEROIDES OVIDIANAS SPECTANTIUM
CAPITA VII.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA ALBERTINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS UNA CUM THESIBUS ADIECTIS
DIE XX MENSIS JUL. A. MDCCCLXXXVIII HORA XII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOANNES TOLKIEHN,
REGIMONTANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
ALBERTUS LUENEBURG, DR. PHIL.
JOANNES PETERS, STUD. PHIL.

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXXVIII.

Lo 10.762

HARVARD COLLEGE
DEC 24 1889
LIBRARY.

Constantius Fund.

LUDOVICO JEEP

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

Cum multae res, quae ad litteras latinas pertinent, nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum perdifficilis minimeque absoluta quaestio est de iis carminibus, quae heroidum vel epistularum nomine inscripta in Ovidi libris manuscriptis traduntur. Sive enim ad titulum eorum respicies, eum neutiquam explanatum esse, iamiam demonstrabo, sive animum advertes ad textus crisin, hanc diu neglectam iacuisse et nuper modo ad certiorem quandam normam redigi esse coeptam videbis[1]), sive, quod summum est, quonam tempore aut a quo poemata illa sint condita quaeres, de ea re tam varias ad hunc diem doctissimorum hominum tamque discrepantes sententias invenies, ut ad quem te applices, plane ignores. Ex hac igitur tanta materia, quamcumque tibi partem tractandam susceperis, certe te non acta acturum in eoque genere aliquid esse profecturum sperare poteris. Quae cum ita se habere intellegerem, in haec studia toto pectore incubui et aliquantulum inde mihi eruisse videor, quod haud scio an litteris mandare operae pretium sit.

I.

Propositum est igitur primum ea colligere ac diligenter expendere, quae de vero horum carminum titulo possint indagari.

1) Is qui anno 1886 heroides Vindobonae apparatu critico instructas edidit, Henricus Stephanus Sedlmayer, quam parum editoris perfecti atque absoluti officio satisfecerit, quicumque cognoscere volet, inspiciat censuras huius libelli imprimis ab Ehwaldio in Bursiani annalibus XLIII p. 236 sqq. et a K. P. Schulzio in hebdomadibus philologicis III (1886) p. 203 sq. prolatas.

Atque eorum, qui antea in eodem argumento versati sunt, primum obtinent locum Vitus Loers, qui in praefatione heroidum editioni[1]) praemissa pag. LXXV sqq. '*heroides*' genuinum epistularum nomen fuisse conatus est demonstrare, et Lucianus Mueller, qui in musei rhenani volum. XVIII (1863) pag. 86 nulla Loersi ratione habita sententiam imbuit ab illo prorsus diversam; quam haud ita multi recentiorum criticorum videntur sibi vindicasse. Quod quo iure factum sit, iam nobis examinare liceat.

Ab iis locis ordiamur necesse est, quibus Ovidius ipse horum carminum mentionem iniecit. Atque elegiam Amor. II 18, in qua argumenta singulorum tantum carptim breviterque perstringantur, nominatim poemata illa non citentur, ad nostram rem nihil valere per se patet. Unum praeter hoc exstat Ovidi testimonium in Arte amatoria III 345 sq.:

> '*Vel tibi composita cantetur Epistola voce*
> *ignotum hoc aliis ille novavit opus*'[2]).

Hoc loco Ovidium '*heroidum*' nomine magis distincto atque definito usurum fuisse Lucianus Mueller l. l. contendit, si id nomen novisset. Nimirum non respexit vir ille doctissimus, quae Loersius de eadem re statuit l. l.: '*Cum poeta*', inquit, '*ibi non tam id ageret, ut titulos scriptorum suorum accurate referret, quam ut satis perspicue ea significaret, cumque praeterea et versu et metrorum lege teneretur elegantiamque spectaret, facile fieri potuit, ut poetico poeta modo pro speciali ac proprio nomine generale "Epistola" usurparit; cum praesertim illius versus sententiam latius exponens adiungeret: "ignotum hoc aliis ille novavit opus"; nec omnino ulla, quae potissimum Epistolae significarentur, obscuritas aut ambiguitas adesset, Epistolis ex Ponto, cum Artem componeret, nondum scribi coeptis. Mihi quidem ex illo loco Ovidii de titulo horum*

---

1) Prodiit huius libri perbono commentario instructi pars prior Coloniae anno 1829, pars posterior anno 1830.

2) Iam hic moneam, me in locis ovidianis adferendis ubicumque secutum esse numeros eius editionis, quam Rudolphus Merkel vir ille de Ovidi carminibus optime meritus bibliothecae teubnerianae inseruit, quia et forma accepta et in omnium manibus esse videbatur.

carminum non magis pro certo statui posse videtur, quam si quis ex aliis poetae locis, in quibus Ars amatoria aut simpliciter Ars aut Ars Amoris appellatur, illos libros concludat aut Artem aut Artem Amoris esse inscribendos.'

Cui sententiae cum eam bene recteque sese habere putem, libentissime accedo. Itaque cum ex Ovidio ipso nihil certi explorari possit, iam ad reliqua, quae rara inveniuntur de hac re veterum scriptorum testimonia nos convertamus.

Antiquissimum eorum est Prisciani, qui Institut. X 9 § 54[1]) carmina illa heroides appellat; eodem nomine bis indicantur a scholiasta Ibidis[2]) itemque Ioannes Sarisberiensis in libro, qui inscribitur '*Polycraticus*' I 12 '*Naso quoque*', inquit, '*in libro Heroidum*'. Quodsi igitur in nonnullis Ovidi libris manuscriptis poemata illa '*Epistolae*' vocantur, huic rei haud multum tribuendum esse nemo non videt, cum et in aliis vel '*heroides*' vel '*heroides sive epistolae*' nominentur[3]) et Priscianus, quem sexto post Christum natum saeculo floruisse constat, vetustissimum quemque nostrorum codicum longe antecedat. Eiusdem auctoritatem recte comprobarunt etiam Alexander Riese in praefatione editionis tom. I (1874) p. IX, Ehwald in Bursiani annalibus XXXI p. 173, Iosephus Heuwes in dissertatione a. 1883 Rheinae Guestfalorum '*De tempore, quo Ovidii amores, heroides, ars amatoria conscripta atque edita sint*' emissa p. 46.

1) In Hertzii editione apud H. Keilium: Gr. lat. II p. 544, 4.

2) Cf. '*P. Ovidii Nasonis Tristium libros et Ibin*' rec. Rudolphus Merkelius Berolini a. 1837 p. 467 et 473 et '*P. Ovidii Nasonis Ibis ex novis codicibus*' edidit R. Ellis Oxonii a. 1881 p. 66 et 98; adde etiam p. 73, ubi ad v. 408 Ellis recte vocem '*Heroidum*' supplevit. — Rudolphus Ehwald in commentatione gothana a. 1876 de scholiasta, qui est ad Ovidii Ibin emissa p. 11 non dubitat, hunc interpretem propter scholiorum ipsorum naturam septimo vel octavo, cuius barbariam illa spirent, adscribere saeculo, cum Ellis l. l. p. LXIII scholia illa etiam antiquiore aetate, sed vix ante saeculum quintum dicat scribi potuisse. — Mira Loersius socordia l. l. non scholiastam Ibidis, sed Metamorphoseon nominavit, de quo ipsi nihil innotuisse putaverim.

3) De hac re qui plura velit comperire, is perlustret '*Prolegomena critica ad heroides ovidianas*'. Vindobonae a. 1878 a H. St. Sedlmayero publici iuris facta p. 1—24.

Ceterum recentiorum testimonia minime urgeo; sed omittere nolui, ne quid deesse videretur.

Locis autem a Ioanne Sarisberiensi citatis quale pretium possit constitui, denuo explorandum est, cum Schaarschmidt in claro illo libello, quo eius philosophi vitam et studia, scripta et doctrinam inlustravit[1]), hanc quaestionem capite singulari[2]) tractatam minime ad finem perduxerit. Ut igitur ratio, quam Ioannes in veterum poetarum versibus adferendis secutus sit, facile cognoscatur, satis erit gravissimos eorum, qui in primo Polycratici libro occurrunt, accurate examinare[3]).

Et primum quidem versus exstant, quos ipse in suum usum data opera demutarit. Quo in genere est Vergili Eclog. IX 54:

'*iam fugit ipsa; lupi Moerim videre priores*'

ubi Ioannes scribit[4]): '*vox fugit*' etc., vocabulo '*vox*' e versu antecedenti suppleto, ut sententia versus intellegi posset.

Similiter Aeneidis versum III 194 ita variavit[5]):

'*Olli caeruleus supra caput astitit imber*'

cum ei tradita lectio '*tum mihi*' non conveniret. Quod contra pronomen '*olli*' a Vergili loco alienissimum est.

In primis autem commemorandus est locus Horati Epist. II 116[6]):

'*quod medicorum est*
promittunt medici; tractant fabrilia fabri'.

---

1) '*Iohannes Saresberiensis nach Leben und Studien, Schriften und Philosophie*'. Lipsiae a. 1862.

2) p. 81—125: '*Iohannes classische Studien.*' Fere eadem iam exstant Mus rhen. vol. XlV (1848) p. 200 sqq.

3) Maxime doleo, quod editio oxoniensis, quam Giles a. 1848 comparavit, mihi praesto non fuerit; nam ea, quae Migne in Patrologiae tomo CXCIX (1855) de veterum auctorum locis a Ioanne allatis enotavit, partim falsa, partim parum exacta sunt; nonnulla autem ab illo prorsus neglecta sine magna difficultate inveniuntur. Vix addere opus est, nos permultos locos omisisse, qui cum codicibus consentiant.

4) p. 412 ed. Migne.

5) p. 413 ibid.

6) Vide etiam Kelleri-Holderi edit. horat. h. l.

ubi Ioannes, cum de officiorum confusione loqueretur, vocabula sic transposuit[1]):

'*quod medicorum est,*
promittunt fabri, medici fabrilia tractant'.

Alterum genus est versuum, qui memoriter prolati pristinum colorem videntur amisisse. Eo referendi sunt Ovidi Rem. am. 161 sq., quos Ioannes ad hunc modum exhibet[2]):

'*Quaeritur Aegisthus quare sit factus adulter.*
Causa est in promptu: desidiosus erat'.

cum in libris manuscriptis '*quaeritis*' et '*in promptu causa est*' legatur.

Vergili Aeneid. I 393, ubi habes apud Ioannem[3]):

'*bis senos laetantes aëre cygnos*'

pro tradita lectione '*laetantes agmine cycnos*'.

Horati Art. poet. 139, quem versum famosum Ioannes ita attulit[4]):

'*parturiunt montes, procedit ridiculus mus*'.

Eiusdem versus Sat. II 1, 13 a Ioanne ita citantur[5]):

'*Caetera de genere hoc adeo sunt multa, loquacem*
ut lassare queant Fabium'.

cum Horatius verba: '*adeo sunt multa*' per parenthesin dixerit, pergens:

'*loquacem delassare valent Fabium*'.

Quin etiam nonnulla a Ioanne adeo sunt perturbata, ut sensus prorsus corrumpatur, velut Ovid. Fast. I 177—180, ubi haec conscripsit[6]):

'*Hinc deus incumbens baculo, quem dextra gerebat,*
omina principiis dixit, inesse solent.
Auditas voces timida perpendimus aure,
et primam visam consulit augur avem'.

---

1) p. 398 ed. Migne.
2) p. 405.
3) p. 410.
4) p. 415.
5) p. 416. Cf. Keller-Holder. ad h. l.
6) p. 413.

At recte codices nostri:

'*Tum deus incumbens baculo, quem dextra gerebat,*
"*Omina principiis*", *inquit*, "*inesse solent.*
ad primam vocem timidas advertitis aures,
et visam primum consulit augur avem".

Nam, ut cetera missa faciamus, Ioannes verba '*auditas voces*' perperam inseruisse putandus est, cum in '*prima voce*' cardinem rei positum esse ipso nexu sententiarum patefiat.

Prosodiacae quoque leges infringuntur, sicut notissimo illo loco Horati Art. poet. 334, ubi agitur de poetarum consilio ac ratione. Hic enim Ioannes dixit[1]):

'*aut iucunda simul et idonea dicere vitae*'

pro sana lectione:

'*aut simul et iucunda et idonea dicere vitae*'.

Denique falsae inveniuntur lectiones, quae in codicibus deterioris notae traduntur. Cf. Verg. Aen. VI 803 '*placarit*'[2]) pro '*pacarit*', quod optimi codices habent. Persius V 49[3]) '*facta*' pro '*fata*'.

Restant duo loci: Lucan. I 636[4]), ubi versus initio coniunctio '*et*' excidit et Iuvenal. V 31[5]), ubi Ioannes exhibet:

'*fortius et citius nos*
corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
cum subeunt animos auctoribus'.

pro vulgari lectione '*velocius et citius*'. Et quidem illud a loci sententia minime abhorret; sed una syllaba deest, ita ut '*sed velocius*' vel simile aliquid legeremus necesse esset. Itaque hanc quoque in falsarum lectionum numero habuerim.

Quae cum ita sint, Ioannis Sarisberiensis testimonia videntur non magni aestimanda esse.

---

1) p. 405. Cf. Keller.-Holder ad h. l.

2) p. 391.

3) p. 408.

4) p. 407. — Migne p. 413 verba '*et tunc*' falso ad Lucanum rettulit, cuius unus tantum versus I 526 citatur. Immo Ioanni ipsi adscribenda sunt.

5) p. 400.

Sed digressi parumper iam ad rem propositam revertamur.

Ex iis, quae adhuc protulimus, id mihi necessario videtur consequi, ut Ovidius '*epistularum*' titulum non usurparit; quem cum Lucianus Mueller quoque nudum nec satis definitum esse crederet, epistulas amatorias inscribere voluit. Quod unde petiverit, me nescire libere profiteor. Neque vero magis invenitur quo nitantur ea, quae Theodorus Birt in libro qui inscribitur: '*Das antike Buchwesen*' p. 379 sq. et Guilelmus Peters p. 74 '*observationum ad P. Ovidii Nasonis heroidum epistulas*'[1]) perperam de eadem re disputarunt; quorum alter genuinum titulum '*heroides*' fuisse dixit, postea autem saeculo quarto vel quinto carminibus XV—XXI adnexis[2]) demutatum esse in '*epistulae*'; alter verba '*epistulae heroidum*' ut plenam et antiquam inscriptionem enucleasse sibi visus est.

Cavendum autem est ne quis Birti commotus rationibus, quae primo fortasse obtutu probabiles videantur, falsam de hac re opinionem accipiat. Cui '*heroidum*' nomine tales epistulas, quales Paridis, Leandri, Aconti, quia sint ab heroibus non ab heroidibus conscriptae, indicari non posse contendenti illud opponendum est, unicuique harum epistularum respondere singulas ab heroidibus confectas, ita ut illae quasi prolusiones quaedam harum haberi queant. Praeterea consimile aliquid factum est in Halieuticis[3]) ovidianis, quibus vv. 49—81 inseritur animalium terrestrium enarratio. Quare is, qui codicem vindobonensem exaravit, hoc carmen inscripsit:

---

1) Publicata est illa dissertatio Lipsiae 1882.

2) De his hodie certum iudicium ferri nequit. Opus est, ut postea videbimus, accurata inquisitione, quam me aliquando praestiturum esse spero.

3) Hoc fragmentum Ovidio non esse abiudicandum magno hominum eruditorum consensu Antonius Zingerle in libello, quo continentur: '*Kleine philologische Abhandlungen*' II (Oeniponti 1877) p. 1—44 confirmavit, sat gravibus usus argumentis, quae ut respueret frustra videtur enisus esse Theodorus Birt in commentatione '*de halieuticis Ovidio poetae falso adscriptis*' Berolini a. 1878 edita. Cf. Ant. Zingerle, Z. f. ö. G. XXX (1879) p. 178—183. Teuffel, R. L.[4] 250, 4.

'*versus Ovidi de piscibus et feris*' Plinio H. N. XXXII 2(5)[1]) simplicem '*Halieuticon*' titulum usurpante.

At contra equidem nihil censeo obstare, quominus una cum Loersio ab Ovidio ipso carmina illa '*heroides*' appellata esse putem. Mos erat mehercule poetarum romanorum cum priscae tum augusteae aetatis, ut opera sua graecanicis titulis praetexerent; e quibus Vergili bucolica, georgica, catalepton[2]), ipsius Ovidi metamorphoses, Ibin, halieutica selegisse sufficiet.

Quin etiam alia accedit causa, qua nostra mire corroboretur sententia. Verisimile enim est, Ovidium hoc carminum genus non invenisse, sed iam antea apud aevi alexandrini poetas similia exstitisse, quae sibi ad imitandum proponeret[3]), praesertim cum argumenta vel tota vel maximam partem e fontibus graecis eum hausisse notum sit.[4])

Eius autem generis vestigia nescio an iam apud Theocritum occurrant, si Suidae verbis fidem habere possumus, qui sub voce Θεόκριτος: τινὲς δέ, inquit, ἀναφέρουσιν εἰς αὐτὸν καὶ ταῦτα· Προιτίδας, Ἐλπίδας, Ὕμνους, Ἡρωίνας, Ἐπικήδεια μέλη, Ἐλεγείας, Ἰάμβους, Ἐπιγράμματα. Nam vocabula ἡρωίς et ἡρωίνη eandem vim habent, et licet ea poemata Theocrito sint eripienda, tamen similia eodem heroidum vel parili heroinarum nomine a Graecis esse composita, non est cur negemus.[5])

---

1) '*Mihi videntur mira et quae Ovidius prodidit piscium ingenia in eo volumine quod Halieuticon inscribitur.*'

2) Ita legendum esse, non '*catalecta*' dudum docuit Theodorus Bergk Musei rhenani vol. XX (1865) p. 291; cui addas ea quae Robertus Unger exposuit Iahni annalibus vol. 113 p. 429—432.

3) Nonnulla huc pertinentia solita enotavit doctrina Carolus Dilthey '*Observationum in epistulas heroidum ovidianas*' particulae I, indici lectionum gottingensi a. 1884 praemissae p. 3 sqq. Ac primum quidem de eadem re cogitavit F. Xav. Werfer: Lectionum in P. Ovidii heroidas specimine in Act. philolog. monacensium tom. I fasc. IV (1814) not. 2; sed rationes eius futtiles existimandae sunt.

4) Cf. iam nunc ea, quae adnotavit Erwinus Rohde in libro praeclarissimo, qui inscribitur: '*Der griechische Roman und seine Vorläufer*' (Lipsiae 1876) p. 128 sqq. Res infra paullo fusius tractabitur.

5) Quantum quidem video nemini adhuc in mentem venit, hunc locum ad Ovidi heroides referre; sed quod Erwinus Rohde l. l. p. 83 not. 3 Theocritum heroinis easdem fere res repraesentasse ait, quas

Quae cum ita sint Ovidium verbis: '*ignotum hoc aliis ille novavit opus*' id tantum significare voluisse arbitror, se primum id litterarum genus popularibus ignotum ad Romanos transtulisse. At non defuerunt, qui poetam ob hunc ipsum versum inanis iactationis reum agerent[1]), cum iam prius a Propertio IV 3[2]) heroidem esse compositam manifestum esset. Sed sive epistolion propertianum ante Ovidi heroides confectum esse una cum Carolo Kirchnero[3]) conicis — quod mihi quidem satis ambiguum videtur — sive mavis accipere sententiam Iurenkae, qui l. l. p. 10—20 Propertium Ovidi heroides imitatum esse legentibus persuadere studuit, certe id unum tenendum '*Ovidium, ut ingenii muliebris varietatem uberius depingeret, heroinas antiquissimi temporis epistulas illas scribentes facere, contra sub nomine Lycotae amicum quendam Properti latere, cui uxor scilicet puella romana, elegiam tertiam scribere fingatur, veri esse simillimum.*'[4]).

Primum igitur omnium Latinorum Ovidium heroides composuisse et re vera ita nominasse me demonstrasse arbitror.

Nicaenetum in mulierum catalogo et Sosicratem in Eoeis Athenaeus libro XIII p. 590 B. tractasse tradidit, hoc omni fundamento videtur carere; neque vero Heinsio et Casaubono possum adstipulari, quos ad heroinas carmen in Berenices laudes scriptum, cuius quidem fragmentum ab Athenaeo libro VII p. 284 A. servatum est, rettulisse Arminius Fritzsche in dissertatione '*de poetis Graecorum bucolicis*' (Gissae 1844) p. 25 testatur. Mera autem coniectura est L. Schmidti sententia, qui Pauli Encycl. I p. 2522 praeter Berenices encomium etiam Idyll. XXVI quo fabula Penthei a matre huiusque sororibus dilaniati continetur, in eo genere fuisse dubitanter pronuntiavit. — Ex iis, quae modo protulimus, Loersium valde errasse apparet, cum l. l. p. XXXV neque graeca huius generis carmina exstare, neque a quoquam veterum ulla unquam exstitisse memoriae proditum esse contenderet. Eundem errorem commisit Iurenka in programmate vindobonensi anni 1881, quod inscribitur: '*Beiträge zur Kritik der Ovidischen Heroiden*' p. 7. Quo factum est, ut iidem Ovidium Art. amat. III 346 se ipsum novi atque inauditi carminis inventorem praedicasse opinarentur.

1) Cf. Iurenka l. l. p. 5.

2) Vel V 3 secundum pravam Lachmanni partitionem. — De hoc uno carmine agendum esse recte Iurenka p. 11 sqq. observavit.

3) '*De Propertii libro quinto capita sex.*' Wismar 1882 p. 58.

4) Cf. Kirchner l. l. p. 46 sq.

II.

Haec de titulo carminum praefati ad spinosiora nos accingamus. Magna enim est quaestio multumque a viris doctis tractata, utrum eae heroides, quae Ovidi nomine circumferuntur, illi poetae adscribendae an seriori demum aetati adsignandae sint. Ac primum[1]) quidem paullo accuratius eam materiam Carolus Lachmannus pervestigavit prooemio indicis lectionum aestivarum Berolini anno 1848 editae.[2]) Is profectus est a loco ovidiano in Amorum libro II 18, ubi aliquot heroidum titulos adfert poeta. Post Lachmannum omnes fere critici, qui copiosius de ea re disseruerunt, uno tamquam tenore eandem rationem secuti sunt. Et recte quidem; nam ab Ovidi ipsius testimonio initium esse faciendum, quis infitias ire audeat? Sed hoc ipso loco reperiuntur res nonnullae ad eam quaestionem spectantes, de quibus nondum satis liquere arbitror. Itaque priusquam aliorum, qui in eodem campo decurrerunt, conatus plus minusve felices recenseamus, illos versus diligenter nobis examinandos esse apparet. Quod facilius fiet, si summam totius carminis modo citati exaraverimus.

Adloquitur Ovidius Macrum amicum, quem ait bellum troianum velle describere usque ad id tempus, quo Achilles incensus iniuria ab Agamemnone sibi inlata se cum Myrmidonibus a belli societate seiungere statuat. Se iam ipsum res domi gestas et sua bella versibus ornare ostendit. Nam quondam se quoque rem maioris momenti attigisse et in tragoedia componenda operam suam conlocasse; sed amore commotum se hoc poesis genere abdicasse. Nunc '*quod licet*', inquit (v. 19—26):

'*Quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris*', —

1) Omnium quotquot huic disceptationi aut intersunt aut interfuerunt, hic principes dumtaxat enumerare placuit, ne maiore nominum congerie subtilitas et perspicuitas orationis diminueretur. Permulti etiam postea occasione data arcessendi erunt.

2) Hoc prooemium hodie invenitur in libello a Vahleno publici iuris facto, qui inscribitur: '*Kleinere Schriften zur classischen Philologie von Carl Lachmann*' p. 56.

his verbis Amorum libros significat —

'*Aut quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,*
scribimus et lacrimas, Phylli, relicta, tuas:
quod Paris et Macareus et quod male gratus Iaso
Hippolytique parens Hippolytusque legant,
quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
dicat, et aeoliae Lesbis amica lyrae'.

His epistulis Sabinum amicum alias adiunxisse (v. 29—34):

'*Candida Penelope signum cognovit Ulixis:*
Legit ab Hippolyto scripta noverca suo:
Iam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae:
quodque legat Phyllis, si modo vivit, adest.
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone littera venit:
Det votam Phoebo Lesbis amata lyram'.

Neque Macrum ipsum, etiamsi res bellicas conetur concinere, Amorem prorsus posse neglegere; nam

'*Et Paris est illic et adultera, nobile crimen,*
et comes extincto Laodamia viro'.

Has res Macrum libentius amplecti putat poeta quam bella et ab illis in sua castra venturum esse.

Haec fere summa totius elegidii. Iam transeamus ad eos versus contemplandos, quos ad verbum attulimus. Atque versus 19 sqq. Ovidium de Heroidibus scripsisse per se satis apparet; illud autem considerandum est, quaenam sint epistulae illo loco commemoratae. Id constat inter omnes inesse in iis illas epistulas, quas Ovidius a Penelope ad Ulixem, a Phyllide ad Demophoontem, a Canace ad Macareum, ab Ariadne ad Theseum, a Phaedro ad Hippolytum, a Didone ad Aeneam, a Sapphone ad Phaonem datas esse finxerit; hae autem sunt epistulae nostri libri, si eum carminum ordinem, quem habes in editione merkeliana, sequi volumus: prima, altera, undecima, decima, quarta, septima, ad quas accedit Sapphus epistula apud Merkelium numero carens.

Restat, ut videamus, quid verbis '*quod Paris et male gratus Iaso legant*' (v. 23) poeta significare voluerit. Lachmannus quamquam l. l. non credibile esse putavit, eum de

Medeae vel de Helenae epistulis, quae hodie sunt loco duodecimo et sexto decimo, iam tum cogitasse, tamen ea verba satis ambigue scripta esse concessit. Eius sententiam omnes fere critici secuti sunt. Quod ad epistulam attinet ad Iasonem datam duo tantum viri aliter iudicarunt, Leutschius in Ersch. et Grub. Encycl. III 8 p. 60 et Teuffelius R. L.[4] 248, 3; sed iis rationes adferre, cur ita crederent, supervacaneum visum est. Ac mihi quidem rem deliberanti gravissima se obtulit causa, cur Ovidio Medeae epistulam obversatam esse arbitrarer, quod Iason '*male gratus*' appellatur. Nam si illa verba '*quod male gratus Iaso legat*' non ad Medeae epistulam referre volumus, ad Hypsipyles epistulam, quae numerum habet sextum, referantur necesse est. Quid autem erat, cur Iason Hypsipylae gratiam haberet? Nihil sane! At contra Medea optime de Iasone meruit, cum eum Colchos cum ceteris Argonautis profectum ope et arte magica adiuvaret, ut vellus aureum in patriam auferre posset.[1]) Quae cum ita sint, inprimis de epistula duodecima cogitandum esse patet. Etiam Hypsipylae epistulam a se conscriptam esse Ovidius docet eiusdem carminis versu tricesimo tertio, ubi Sabinum ad Hypsipylae epistulam ad Iasonem datam respondisse testatur. Quare facere non possum, quin Ovidium verbis, '*quod male gratus Iaso legat*' duas epistulas credam voluisse designare, tum Medeae tum Hypsipylae epistulam, utramque ad Iasonem datam. — Erunt autem, qui numero singulari '*quod*' ('*quod male gratus Iaso legat*') duas epistulas significari posse negent. Eos relegatos volo ad versum insequentem, qui ab eodem vocabulo '*quod*' pendet, ita ut duobus his versibus:

'*quod male gratus Iaso*
Hippolytique parens Hippolytusque legant'

uno verbo '*quod*' tres certe indicentur epistulae. Nihil igitur impedit, quominus idem in quattuor epistulis fieri posse putemus. Praeterea Ovidium si via instituta pergere vellet,

---

1) Cf. verba Medeae de Iasone Her. XII 23 '*est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas*' et v. 208 '*hoc ipsum, ingratus quod potes esse meum est.*'

aliter de duabus epistulis ad eundem Iasonem datis loqui non potuisse deliberandum est, nisi dicere vellet: '*scribimus quod Iaso legat et iterum scribimus quod Iaso legat*'; quo quidem nihil profecto stolidius esset atque perversius. Hoc concesso Ovidium cum scriberet '*quod Paris legat*' non solum epistulam ab Oenone ad Paridem missam, ut ii, qui Lachmannum auctorem secuti sunt, perhibere solent, verum etiam epistulam ab Helena ad eundem datam.— est sexta decima apud Merkelium — respexisse verisimile est. Atque rem ita se habere, quod iam Teuffelius l. l. causis tamen omissis animadvertit, plane probari mihi videtur versu eiusdem carminis tricesimo septimo, ubi poeta fore ait, ut Macer res ad bellum troianum pertinentes tractare conatus sponte ad amores versibus celebrandos se convertat; nam '*et Paris*', inquit, '*est illic et adultera, nobile crimen.*' E versu autem, qui sequitur:

'*et comes extincto Laodamia viro*'

liquido apparere arbitror Ovidium iam tum epistulam, quam a Laodamia ad Protesilaum missam esse finxit — loco exstat tertio decimo — aut composuisse aut certe componere voluisse.

Summam igitur totius quaestionis eo redire nemo non videbit, ut easdem res, quae insunt in epistulis nostri libri prima, secunda, quarta, quinta, sexta, septima, decima, undecima, duodecima, tertia decima, sexta decima, denique in Sapphus epistula etiam Ovidio ad tractandum propositas fuisse putemus.

Iam exsistit hoc loco quaestio quaedam subdifficilis, Ovidius in carmine pertractato (Amor. II 18) utrum omnes, quas umquam condidit, heroides an nonnullas earum nominaverit. Ad quam solvendam priusquam adgrediamur, diiudicandum est, num illo tempore poeta heroides iam publici iuris fecerit vel ad finem perduxerit. Nam si epistulae non omnes conscriptae erant, omnium nondum mentionem facere potuit, sin erant conscriptae, certe omnium titulos adferre potuit, sed non debuit. Ac Lachmannus quidem l. l. ita de hac re argumentatur, ut cum totum heroidum librum paullo post illud tempus, quo eius mentionem in Amoribus poeta iniecerit,

editum fuisse constet — quod ex Art. am. III 345 concludendum sit — reliquas epistulas nonnisi brevissimo illo temporis spatio, quod fuerit inter alteram Amorum editionem et editos anno ab urbe condita varroniano DCCLII artis amatoriae libros interiectum, ab Ovidio scribi potuisse putet; neque enim verisimile esse eum ad hoc genus unquam redisse, qui paulo post nono metamorphoseon libro (vv. 529—569) Byblidos epistulam versibus heroicis scriptam inseruerit, neque in carminibus in Ponto scriptis ullam usquam illorum poematum mentionem iniecerit. Hanc argumentationem non nemini haud satis probabilem videri arbitror. Nam quod vir ille doctus ex artis amatoriae loco (III 345) omnes heroides iam tum editas fuisse coniecit, nullo modo ei concedere possumus. Ac si illum locum diligenter contemplamur, nihil aliud ex eo concludi posse videmus, quam nonnullas epistulas, tum cum artem amandi ederet, divulgatas fuisse. Suadet enim ibi puellae, ut carmina ad cantandum idonea sibi deligat in hisque sui ipsius poemata commendat:

> ‘*Deve tribus libris, titulus quos signat Amorum,*
> *elige quod docili molliter ore legas:*
> *vel tibi composita cantetur Epistola voce.*’

Videmus igitur illa verba de una aliqua epistula, non de certo epistularum numero dici. Quod vero Lachmannus non verisimile esse contendit, Ovidium ad hoc genus unquam redisse, qui paullo post nono metamorphoseon libro epistulam versibus heroicis scriptam inseruerit neque in carminibus in Ponto scriptis aut emendatis ullam usquam illorum poematum mentionem iniecerit, hoc iam Wolframus Zingerle in commentatione Oeniponti edita anno 1878, quae inscribitur ‘*Untersuchungen zur Echtheitsfrage der Heroiden Ovids*’ p. 2 iure refutavit: Byblidis epistula metamorphoseon libris interposita multo magis ad eam sententiam nos deduci posse demonstrans, ut Ovidium tum, cum nonum metamorphoseon librum scriberet, etiam in heroidum argumento occupatum fuisse et, quia res ita ferrent, in illo quoque poemate alicubi epistulam iniecisse arbitremur. Praeterea non esse mirandum in posterioris aetatis carminibus nullam Heroidum mentio-

nem fieri, quippe quae levius essent opusculum quam reliqua poemata ovidiana quaeque ad vitam poetae ne minimi quidem essent momenti. Etiamsi Ovidius illas epistulas nusquam enodate commemoret, tamen in iis locis, ubi homines vel res in illis tractati attingantur, facile argumentum inesse posse, quo ab Ovidio illas quoque epistulas conscriptas esse confirmetur.

Quae cum ita se habeant, ea, qua Lachmannus voluit, ratione quaestionem solvi non posse dilucide apparet. Itaque alia indicia quaerenda sunt, quorum quaedam in ipso carmine Amorum II 18 sese offerunt. Nam si Ovidius v. 19 sqq. ait:

> 'Quod licet aut artes teneri profitemur Amoris —
> ei mihi praeceptis urgeor ipse meis! —
> aut quod Penelopes verbis reddatur Ulixi
> scribimus'

et quae deinceps sequuntur: ex his certo colligi potest, tum, cum hoc carmen pangeret, duas ei praeterea res ad tractandum propositas fuisse, Heroides et artem amandi. Fieri autem nullo modo potest, ut Iosepho Heuwesio fidem habeamus, qui l. l. pag. 38 Ovidium eo tempore in perpoliendis epistulis versatum esse legentibus persuadere studet. Hoc si Ovidius indicare voluisset, non vocabulum '*scribimus*' in versu 22, sed aliam quandam vocem usurpasset. Sed hoc levioris momenti est. In ceteris vero rebus, quas ibi profert, valde Heuwesio adsentior. E loco enim Amor. II 18, 27 sqq., ubi Ovidius narrat, ad eas epistulas, quas modo vv. 21—26 commemoravit, Sabinum poetam responsa ficta rescripsisse, concludere nos vetat, poetam tum cum Amores iterum ederet et Artem iam conscribere coepisset, non in Heroidibus componendis versatum fuisse, sed eas iam in publicum emisisse. Nam Sabinum amicum (cf. Am. II 18, 27 et ex Pont. IV 16, 13) cum cotidiano usu ac consuetudine Ovidi uteretur, facillime scire potuisse non modo quae carmina Ovidius modo confecisset, sed etiam quae proximo tempore confecturus esset; itaque fieri potuisse, ut iam responsum alicuius heroidum epistulae ovidianae rescripsisset, priusquam Ovidius ipse eam edidisset.

Sententia Heuwesi alia quoque re, quae eum effugisse videtur, confirmari potest. Erravit enim in eo, quod putavit — hunc enim in modum verba eius intellegenda esse arbitror — ad omnes eas epistulas, quas Ovidius versibus 21—26 laudavit, Sabinum poetam responsa ficta rescripsisse. Desiderantur enim quaedam epistulae in Sabini responsorum numero, sicut Helenae, Ariadnae, Canaces epistulae. Nonne ex hac re facile potest colligi, Sabino eo tempore eas tantum epistulas notas fuisse, quibus suas ipsius adiunxit, reliquas autem nondum ab Ovidio consummatas vel nondum scribi coeptas, sed ad tractandum ei propositas fuisse? Quod quidem optime quadraret ad sententiam ab Heuwesio prolatam, qui Sabinum hominem cum Ovidio summa amicitia coniunctum iam responsum alicuius Heroidum rescribere potuisse credit, priusquam ipse eam publici iuris fecerit.

Ex iis, quae adhuc protulimus, satis apparere arbitror, omnes epistulas tum, cum Ovidius Amor. II 18 scriberet, nondum confectas fuisse. Ergo eas omnes nondum potuit commemorare in eo ipso carmine, neque ulla est causa, cur reliquas, quia earum mentio non fiat, supposititas esse credamus.

Hac elegia pertractata statim ad reliquos, qui admodum pauci sunt, scriptorum veterum locos nos convertamus, quibus heroidum mentio iniciatur. Neque enim eorum conlationem a quoquam adhuc susceptam esse video. Atque rhetores et grammatici latini hisce versibus usi sunt.

I 2: '*nil mihi rescribas, attinet*[1]) *ipse veni*'

Marius Victorin. VI pag. 109, 30 K.[2])

'*nil mihi rescribas*' idem VI. pag. 111, 23 K.[2])

IV 67: '*tempore quo nobis inita est Cerealis Eleusin*'

Priscianus II pag. 544, 4 K.

V 149: '*heu mihi*[3]), *quod nullis amor est sanabilis herbis*'

1) Nata est haec forma ex lectione '*attamen*' a guelferbytano exhibita.

2) Utrumque locum ovidianum Keilius citare supersedit.

3) Codices Ovidi '*me miseram*' praebent.

Isidorus: De rhetor. c. 21 apud Halmium Rhett. lat. m. pag. 520, 10.

Denique commemoranda sunt Probi, qui apud Keilium dicitur, et Mari Ploti Sacerdotis verba; quorum alter Cathol.[1]) IV pag. 30, 18 K. '*this:*' inquit, '*et hoc tertiae declinationis this vel dis facit genetivo, Atthis, Atthidis: sic Ovidius.*' alter VI pag. 481, 22 K. '*this:*,' inquit, '*tertiae declinationis this vel dis facit genetivo haec Atthis huius Atthis vel Atthidis: sic Ovidius.*' De utroque loco Keilius in apparatu critico adnotat: '*heroid. 15, 18*' hoc est apud Merkelium Sapphus epistulae versus 18. Sed eum versum huc non pertinere per se patet, cum in eo non genetivum, sed nominativum '*Atthis*' inveniri nemo non videt:

'*non oculis grata est Atthis, ut ante, meis.*'

Apparet igitur ex his, quos attulimus locis, nihil consequi de iis heroidibus, quas Lachmannus negavit ab Ovidio profectas esse.

Addidit Lachmannus, ut illam de heroidibus sententiam stabiliret, alia quaedam argumenta ab arte metrica et a prosodia repetita, quorum plurima l. l. confutavit Lucianus Mueller ita tamen, ut Paridis, Helenae, Herus epistulas spurias esse concederet. Multo vero latius patent eae quaestiones, quas Bernhardus Eschenburg[2]) de heroidum arte metrica instituit. Is quamquam multa omnino recte atque subtiliter expedivit, tamen cum Lachmanni sequeretur auctoritatem, opinione praeiudicata rem adgressus est. Postea Alexandri Riesi[3]) verbis, ut ipse ait, commotus, voluntate mutata elocutionibus nonnullis singulisque vocibus, quae in Heroidibus occurrunt, cum loquendi ratione ovidiana diligenter comparatis[4]) se a priore sententia descivisse declara-

1) Inter Probi Catholica et Sacerdotis librum secundum nihil interesse non ignoro. Cf. Teuffel, R. L.[4] 300, 8.

2) In programmate Lubeckae anno 1874 emisso, quod inscribitur: '*Metrische Untersuchungen zur Echtheitsfrage der Heroides des Ovid*'.

3) Leguntur in Iahni annall. 109 (1874) p. 569 not. 9.

4) In altero programmate lubeckano anni 1886, cui titulus est: '*Wie hat Ovid einzelne Wörter und Wortklassen im Verse verwandt?*'

vit et iam ab eorum partibus stare, qui omnes heroides excepta Sapphus epistula ab Ovidio profectas esse putent. Quod contra Ehwaldius l. l.[1]) talibus observationibus, nisi alia accedant argumenta, haud multum effici recte monuit. Quare etiam non magis probanda videtur ratio a Wolframo Zingerleio adhibita, qui in libello supra commemorato omnibus iis heroidum locis collectis, quibus in ceteris Ovidi carminibus singuli loci respondent, omnes heroides Ovidio attribuendas esse demonstrare temptavit.

Restat, ut unius viri mentionem iniciamus, qui heroides, quia essent ineptiarum plenissimae, ad unam omnes Ovidio indignas esse censuit. Lehrsium dico, divinum illum philologum et de litteris graecis tam bene promeritum. Permultos hodie ea, quae ille de hac re exposuit[2]), inmerito silentio praeterire vel despicere[3]) valde dolendum est; nam licet vir ille doctissimus in hac re modum aliquantum transierit, tamen e commentatione eius, omni quo erat animi acumine et sollertia composita, neminem leves tantum fructus percepturum esse confido.

Sed haec quidem hactenus. Iam planum esse puto iis modis, quibus adhuc viri docti usi sunt, quaestionem finiri non posse. Immo vero *rebus*, de quibus agitur a poeta, et *ratione*, qua agitur de iis, diligenter excussis, num ulla inveniri possit causa quaerendum est, propter quam una vel plures heroidum Ovidio abiudicentur necesse sit.

Hoc nobis ad tractandum propositum est et quidem ita, ut primum quattuordecim primas epistulas seorsim percenseamus; quod nemini, qui horum carminum naturam vel obiter noverit, mirum videbitur. Inquirendum igitur nobis hac commentationis parte in epistularum tertiam, octavam, nonam, duodecimam, tertiam decimam, quartam decimam, de quibus ambigitur hodie.

---

1) Burs. annall. XLIII p. 208 sq.

2) In commentatione, qua continentur '*Adversarien über die sogenannten Ovidischen Episteln*' e Fleckeiseni annall. a. 1873 iterum expressa in editione Horati p. CCXXII—CCLIV.

3) Cf. Sedlmayer, Proll. crit. p. 78 not. 59.

III.

Atque ut haec tota res melius diiudicetur, operae pretium est, initio, quaenam sit illorum carminum interna forma atque species, cognoscere.

§ 1.

Exordiamur, si placet, a tertia epistula, quam auctor a Briseide ad Achillem non ita multo post datam esse finxit, quam Graeci frustra miserunt legatos, qui Pelidae iram placarent[1]). E qua Lehrsius ὁ τὰ ἀκίνητα κινήσας certam versuum exemit collectionem, quam Ovidio videtur tribuisse vel alii poetae antiquiori[2]). Neque vero, ut compositio penitus perspiciatur, elegi argumentum breviter exponere, alienum erit a proposito.

Brevi prooemio vv. 1—6 praemisso Briseis vehementer obicit Achilli, quod se, siquidem Agamemnoni tradidisset, nondum repetisset (v. 7—24). Adeo autem eum ex desiderio sui non laborare, ut nuper se una cum multis et eximiis donis a rege oblatam recipere gravatus sit (v. 25—42); sed si se deserat, nimis iam adflictam in summas detrusurum esse miserias (v. 43—56). Quin etiam famam divulgasse, Achillem propediem domum esse rediturum (v. 57—60). Quare orat atque rogat eum, ut se secum avehat si non uxoris tamen servae nomine fidelissimae (v. 61—82). At cum nulla iam sit causa, cur diutius succenseat Graecis, quippe qui operam dedissent, ut ei satisfacerent, cum illis in gratiam rediret (v. 83—90).

Hic iam subsistamus, si placet; nam ea, quae statim sequuntur, Lehrsius sine ulla exceptione mirifica, inepta, absurda esse dixit. Sed in ea quoque parte, quam adhuc enarravimus, disticha nonnulla eicere voluit. Quorum prima continentur versibus 17—20 iam antea ab Arone quodam Battaleo suspectis[3]):

1) Cf. v. 25 sqq.

2) Cf. Horati edit. p. CCXXVIII sqq.

3) Cf. Loers ad v. 19. Ceterum ulterius provectus est Petersius, qui l. l. p. 21 duplicem in iis versibus sibi visus est deprehendisse interpolationem; vid. Ehwald. Burs. annall. XXXI p. 174.

'*Saepe ego decepto volui custode reverti:*
sed me qui timidam prenderet, hostis erat.
Si progressa forem, caperer ne nocte timebam;
quamlibet ad Priami munus itura nurum.'

Haec Lehrsius ita comparata esse contendit, ut Briseidem, quamvis apud Agamemnonem sit, tamen non una cum Achille iisdem in castris versari credamus necesse sit. '*Quid enim est,*' inquit, '*cur per Troianos fugiat?*' Iure vir ille doctissimus in his versibus haereret, si Briseis sibi per Troianos fugiendum esse aperte diceret; nihil autem aliud eam dicere apparet, quam anxiam se fuisse atque suspensam, ne nocte ab hostibus excipiretur. Et recte quidem. Etenim cum non nisi noctis tempore fugae sese mandare posset, verendum ei erat, ne de recta via deflectens in Troianorum potestatem caderet, praesertim cum eo ordine Graecorum naves positas fuisse Homerus Λ v. 5 sqq. tradat, ut Achilles extremum locum teneret[1]). Accedit quod versu 20:

'*quamlibet ad Priami munus itura nurum*'

poeta versus homericos Z 244 sqq.[2]) videtur respectasse; quod cum toto carminis habitu optime convenire postea demonstrabitur.

Deinde Lehrsius eiecit versus 31—38, quibus dona, quae legati Agamemnonis verbis Achilli erant polliciti, enumerantur et quidem homericis versibus accurate expressis[3]). Quod quamobrem fecerit, non addidit. Forsitan nihil nisi versionem loci homerici a recentioris aetatis homine insertam esse crediderit. At tantum abest, ut hic enumerationem habeamus aridam prorsus atque ieiunam, ut in extremis versibus insignem quandam notam adfictam videamus et Ovidio mi-

1) Στὴ δ' ἐπ' Ὀδυσσῆος μεγακήτεϊ νηὶ μελαίνῃ,
ἣ ῥ' ἐν μεσσάτῳ ἔσκε γεγωνέμεν ἀμφοτέρωσε
ἠμὲν ἐπ' Αἴαντος κλισίας Τελαμωνιάδαο
ἠδ' ἐπ' Ἀχιλλῆος, τοί ῥ' ἔσχατα νῆας ἐΐσας
εἵρυσαν ἠνορέῃ πίσυνοι καὶ κάρτεϊ χειρῶν.

2) πεντήκοντ' ἔνεσαν θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο
πλησίοι ἀλλήλων δεδμημένοι· ἔνθα δὲ παῖδες,
κοιμῶντο Πριάμου παρὰ μνηστῇς ἀλόχοισιν.

3) Leguntur I 121 sqq. = 264 sqq. Cf. etiam T 243 sqq.

nime indignam. Agamemnon enim Achilli cum famulas lesbiacas tum filiae coniugium promiserat; de qua re Briseis ad hunc modum loquitur[1]):

'*Quodque supervacuum est, forma praestante puellae,*
Lesbides, eversa corpora capta domo:
cumque tot his — sed non opus est tibi coniuge — coniunx
ex agamemnoniis una puella tribus.'

Ad quae Amar[2]) quidam haec animadvertit: '*Muliebriter nec sine invidia; terrent enim "lesbides puellae", quae forma praestant, terret magis "ex agamemnoniis una puella tribus", quae coniunx Achilli ab Atrida offertur; quia non opus est illi coniuge, qui habeat Briseida. Omnia haec ingeniose et vere atque e natura loquentis.*' Haec sanae mentis verba subscribere non dubito.

Neque vero gravioribus argumentis Lehrsius fulcitur in versibus 67—82 resecandis, quibus Briseidem ab Achille efflagitare diximus, ne se derelicta in patriam revertatur. Inridet enim vanum hoc mulieris studium fieri non posse ratus, ut Briseis, cum penes Agamemnonem sit, ab Achille in Graeciam navigaturo abducatur. At mihi hoc minime ridiculum videtur. Nonne Briseis sperare debuit, Achillem, si amore sui flagraret, ut qui esset ad vim propensior[3]), ipsam armis recuperare temptaturum esse? Sed licet Briseidem parumper condicionis suae oblitam esse concedamus; hominibus magno dolore captis saepenumero usu venire videmus, ut summa quaeque omittant. Ceterum ex iis, quae sequuntur, eam non tam id operam dare dilucide apparet, ut Achillem in Graeciam abiturum comitetur, quam ut illum in Agamemnonis concordiam reducat.

Restat unum distichon, quod continetur versibus 87. 88:

'*Arma cape, Aeacide, sed me tamen ante recepta,*
et preme turbatos Marte favente viros.'

Etsi enim Lehrsius non negat, si hos versus retineamus, exsistere figuram quandam rhetoricam ita, ut singula verba

1) V. 35 sqq.
2) Apud Loers. p. 52.
3) Cf. Hom. A 188 sqq.

utrisque hexametrorum hemistichiis repetantur, quae quidem haud abhorreat ab eius indole, qui versus 3—10 composuit — hic similia leguntur — tamen scrupulum ei iniciunt verba '*Marte favente*', quia hic non de deorum auxilio, sed de ipsius Achillis virtute agatur.

Ac primum quidem non est, cur hoc loco Achillis virtus unice praedicetur, tum Mars Achillis virtute cogi putandus est, ut faveat, Danais scilicet, quorum opes versu 85 ab impigro Hectore lacerari dicuntur.

Aliud argumentum, quo hos versus delendos esse Lehrsius demonstrare voluit, postea examinabimus, ubi de re metrica verba faciemus.

Iam cum satis clarum esse putem, nonaginta primis tertiae heroidis versibus sententiarum conexum optime procedere, ad posteriorem elegi partem nos convertamus a Lehrsio tam parvi aestimatam.

Briseis postquam Achillem hortata est, ut animum in Agamemnonem offensiorem recolligat, sic fere pergit: Ne turpe esse putaveris, feminae precibus morem gerere, memento Meleagri, qui coniuge instante diu reluctatus arma capessivit (v. 91—97). Dum haec loquitur, in mentem ei venit, se non eodem loco haberi posse, quo legitima Meleagri uxor, quippe cum ipsa nihil sit, nisi serva humilis atque abiecta ideoque Achillis parum interesse, quid ei suadeat (v. 98—102). Itaque illi probare studens, se ita se semper gessisse, quemadmodum Achillis coniugem deceret, per deos atque homines iurat, nullam sibi cum Agamemnone fuisse consuetudinem (v. 103—110); atque ut eum melius exoret, ipsa illi obiectat, quod fide erga se violata cum aliis puellis rem habuerit. Nam Graeci, inquit, errant in eo, quod te maerere putant; immo citharae et amori deditus es (v. 111—120). Hoc opprobrio callide utitur ad pudorem Achillis suscitandum, temporis praeteriti memoriam repetens, quo fortia facinora facere maluerit; quare ut res in pristinum statum quam celerrime redeant sese cupere atque exoptare adfirmat (v. 121—126). Sed cum preces suas coram Achille ipso multo plus valituras esse intellegat, Graecos, qui nihil antiquius habebant, quam ut Achilles bello rursus interesset,

more rhetorico his fere verbis compellat: 'Mittite me, Danai, durum atque asperum illius animum mitigabo' (v. 127—134). Quam spem inritam esse haud ignorans addit: 'Etiamsi mihi in conspectum tuum venire non licet, tamen miserere aerumnarum mearum, ne desiderio tui consumpta praemoriar' (v. 135—154).

Data opera hanc carminis partem uberius paullo ac fusius explanavimus, ut nullas ineptias in ea inesse penitus perspiceretur.

§ 2.

Devenio ad secundam earum heroidum, quas Lachmannus spurias esse censuit, quae ab Hermione, Neoptolemo nupta, ad Orestem data esse fingitur.[1]) Hanc epistulam Lehrsius quamquam nullis scatere versibus insiticiis concessit[2]), tamen inter pessimas omnium numerandam esse existimavit. Iterum autem atque iterum reputandum est, virum illum doctissimum Ovidi poematia aeque nimis magni fecisse atque carmina Horati itaque providendum esse, ne in his rebus iudicio eius nos subiciamus. Atque ut manifestum fiat, quid de Lehrsi sententia iudicandum sit, iam heroidis argumentum paucis enarrabimus.

Hermionae verba haec fere sunt: Pyrrhus me invitam retinet apud se et renitentem iniuriosius tractat (v. 1—14). Quare obsecro te, Oresta, atque obtestor, ut mihi subvenias. Hoc munus iure feminae tibi conlocatae postulo (v. 15—18). Domesticum habes Menelai exemplum ad imitandum; neque enim coniugi laeso turpe est nuptam bello repetere (v. 19—26). Sed etiamsi non matrimonio mihi coniunctus fuisses, tamen te mihi auxiliari necesse est, quia artissimo cognationis vinculo tenemur (v. 27—30). Accedit quod tibi antea pacta sum Tyndareo auctore quam Pyrrho (v. 31—36). Cui qui me tradidit, ipse pater meus incepti veniam tibi dabit; nam ut Pyrrhus tua iura violavit sic Menelai quondam Paris (v. 37—42). Neque vero tu cedere debes Pyrrhi virtutibus neque illius maiores dignitate tuos antecedunt (v. 43—53).

1) Numero exstat octavo.

2) L. l. p. CCXXIX.

Pyrrho autem tuis laudibus obtrectanti et Aegisthi caedem tibi probro vertenti, obloqui mihi non licet neque quicquam nisi lacrimare permissum (v. 54—64). An fatum quoddam divinitus toti genti imminet? Ita vero est; ego quoque sub eius dominationem subiecta sum (v. 65—82). Utinam Achilles viveret, non sineret, me tam dira perpeti (v. 83—86). Ecquid in deos peccavi, cum a parvula non nisi adversa fortuna usa sim? (v. 87—100.) Hoc unum mihi bene ac feliciter evenit, quod te coniugem nacta sum; sed tu quoque mihi ereptus es (v. 101—104). Quae cum ita sint, perpetuo dirumpor dolore, quem die leviorem, nocte vix ferre possum (v. 105—116); itaque per divina humanaque iuro, malle me mortem praematuram oppetere quam te viro legitimo et amato carere (v. 117—122).

Ex iis, quae modo exposuimus, in hac quoque epistula orationis subtilitatem nusquam imminui satis apparere arbitror.[1])

§ 3.

Transeo ad nonam epistulam, quae a Deianira ad Herculem paullo postea scripta fingitur quam illi vestem misit Nessi sanguine perfusam.[2]) Iam videamus, rectene Lehrsius[3]) eam maxime invenustam atque iniucundam, crassiore Musa compositam, denique vilissimam appellaverit.

Initio carminis Deianira Herculi de Oechaliae expugnatione gratulata conqueritur, quod in Ioles amorem inciderit (v. 1. 2). Viro enim tam forti se puellae potestati permittere summo esse dedecori (v. 3—6). Itaque Eurystheum et Iunonem, qui eius sint inimicissimi, vehementer laetari. Iovem patrem aegerrime ferre, quod hac macula vitae suae splendorem asperserit (v. 7—10). Atque ut eo magis illum mollitiae suae pudeat, admonet eum rerum, quas olim Iunonis non Veneris iussu tam praeclare gesserit, ut non solum

---

1) Quae Petersius l. l. p. 30 sqq. protulit argumenta, quibus versus 77—80 in suspicionem vocaret, ea caduca esse atque incerta iam Ehwaldius intellexit Bursiani annall. XXXI p. 175.

2) Cf. v. 143 sqq.

3) L. l. p. CCXLIX.

apud homines, verum etiam apud superos inferosque gloriam sibi longe lateque diffusam comparaverit (v. 11—26). Hoc loco Deianira iam sibi ipsi haec fere opponit: 'Quorsum', inquit, 'ista queror? Nonne invidetur mihi, quia Herculis uxor sim atque nurus Iovis omnipotentis (v. 27. 28)? At hic ipse malorum meorum fons. Maior es, quam ut me tibi accommodare possim (v. 29—32). Etenim te summa pericula adeunte, ego sola domi sedeo, saluti tuae metuens (v. 33—42). Ac ne propinqui quidem adsunt, quorum consolationibus perfruar (v. 43. 44). Tam grave ego quoque Iunonis odium experior (v. 45. 46). Sed haec leviora. Illud vero acerbissimum, quod alienis amoribus occupatus impeditusque teneris (v. 47—52). Quorum novissimus idemque turpissimus est amor, quo Omphalen amplexus es (v. 53. 54). Cui dum inservis, mundo atque vestitu muliebri te ornasti, ita ut adversarii tui, quos multos superasti, erubescant necesse sit, quia a viro effeminato devicti sint (v. 55—72). Quin etiam opera feminarum propria manibus tractasti, quibus multa et fortia facinora patrasti. Quae tunc silentio praeterire praestabat, quam iis gloriari a vitae genere tam molli atque delicato maxime diversis (v. 73—102). Cum vero ad eam usque processeris socordiam, ut paterere mulierculam arma tua corpori suo aptare, virtutem prorsus abiecisti (v. 103—118). Sed haec omnia non nisi auditione et fama accepi. Ecce nova tua amica in ipsis oculis meis constituitur, vultum superbissimum prae se ferens, proinde ac si non bello capta sit (v. 119—130). Hanc credo me repudiata iusto tibi adiunges matrimonio' (v. 131—134). Quo timore perterrita Herculem pristini temporis commonefacit, quo pro sua ipsius vita semel atque iterum summos labores exantlaverit (v. 135—142). Haec scribenti cum subito nuntiatum sit, Herculis corpus horribili peste confectum extabescere (v. 143. 144), detestata furorem nefarium atque scelestum, quo ad virum unice dilectum perdendum impulsa sit, iam se mortem sibi conscivisse dictitat (v. 145—168).

Ac priusquam ea, quae Lehrsius l. l. p. CCLVIII sqq. de hoc carmine nimia sagacitate videtur statuisse, paulo diligentius scrutemur, Birtium '*animadversionum ad Ovidi heroi-*

dum epistulas'[1]) p. 406 sqq. luculenter demonstrasse praemonendum est, inter epistulam nonam et Trachinias sophocleas eas comparere similitudines, manifestum ut fiat, ipsum Sophoclem inter manus poetae romani fuisse tractatumque ab eo per singulos locos amplificantis more. Quo fit, ut multas res, de quibus Lehrsius in dubium venit, si eas cum exemplari graeco, fortunae favore nobis reservato, comparemus, omni offensione carere facile cognoscamus. Iam si viro illo doctissimo id suspectum videtur, quod Deianira initio valde miretur, Herculem, qui nullo certamine inferior discessisset, amori succubuisse, tamquam si novum hoc esset atque inauditum, ipsa coniugis furta memoria tenente et versibus 49 sqq. percensente, prorsus eandem sententiam expressam videmus Lichae verbis sophoclei v. 488 sqq.:

> ὡc τἄλλ' ἐκεῖνοc πάντ' ἀριcτεύων χεροῖν
> τοῦ τῆc δ' ἔρωτοc εἰc ἄπανθ' ἥccων ἔφυ[2]).

Deinde si Lehrsius totum locum, ubi de Hercule apud Omphalen morante agitur, nihil esse ait, nisi additamentum spurium, quo narratio antiqua nimis exaggerata sit, genuino carmine versibus 64. 103 sqq. 145 sqq. procedente una cum Birtio[3]) illud teneamus necesse est, Omphales amorem ideo a poeta tam vividis depingi coloribus, quia apud ipsum Sophoclem nominatim nullam viderit, praeter Omphalen (v. 249 sqq.) castigari. Neque vero Lehrsio mirum esse debuit, quod in hoc ipso embolio nonnullae res ab Hercule gestae iterentur[4]), praesertim cum ex iis, quae de argumento carminis exposuimus, Deianiram in eo enixe elaborare liquido appareat, ut maritum suum crebra pristinae fortitudinis admonitione ab Ioles amore revocet. Accedit quod poeta id discrimen videtur servasse, ut versus 85—100, quibus res illae repetuntur, Herculi ipsi tribueret, antea Deianira

---

1) Expressae sunt Mus. rhen. vol. XXX (1877) p. 383—432.

2) Contra apparet ex heroidis principio versus sophocleos non una cum Dindorfio spurios esse habendos.

3) p. 407.

4) Diomedes equis ad devorandum obiectus v. 67—90. Cerberus in lucem protractus v. 38. 93. Gemini angues ab infante elisi v. 21. 58.

verba faciente. Praeterea Birtius l. l. etiam apud Sophoclem versibus 1049—1102 laborum herculeorum indicem obviam fieri recte animadvertit. Ceterum Lehrsium falsum esse versus 84 et 105 eadem indicare ratum, nemo negabit, qui versus iuxta positos non per transennam tantum aspexerit:

Factaque narrabas dissimulanda tibi

et

I nunc, tolle animos et fortia gesta recense.

Hoc loco Petersium missum facere nolo, qui l. l. p. 24 sq. praeco exstitit sententiae a Lehrsio de versibus 74—83 pronuntiatae. Sed ipsum audiamus: '*Neque intellegitur*', inquit, '*cur poeta in describenda nendi ratione diligentia paene fastidiosa versatus sit, et ridiculum in modum Omphales in Herculem effertur imperium. Sed quod maius est, nondum legitur haec fabula apud Ovidianae aetatis scriptores, sed debetur posteriori tempori, quo in picturis quidem eam delineatam et a poetis (velut a Luciano) narrari videmus. Praeterea offendimus in constructione v. 77 subito durius mutata. Itaque v. 74—83 interpolatoris alicuius esse videntur, et fortasse ita cum v. 73 nexus est efficiendus.*

73. *Inter ioniacas calathum tenuisti puellas,*
84. *factaque narrabas dissimulanda tibi.*

Videtur hac re coniectura mea fulciri, quod saepius a poetis feminae dum fila deducunt et omnino inter operas muliebres narrantes inducuntur fabellas. Cf. Tib. I 3, 85. Verg. Georg. IV 334. Ov. Met. IV, init.'

Atque de prioribus eius causis, quae ei cum Lehrsio communes sunt, iam absolvimus. Quod vero illam fabulam ab Ovidi aetate alienam esse voluit, incredibilem errorem videtur commisisse. Nam ipse Otto Iahnius, cuius auctoritatem se in hac re suscepisse dixit, libelli a Petersio laudati pag. 224 not. 45[1]) attulit versus Properti III 11, 17 sqq.[2]):

---

1) Insertus est actis societatis lipsiensis phil.-histor. VII (1855) p. 215—242 (Über ein pompejanisches, den Herakles bei der Omphale darstellendes Wandgemälde).

2) Vel IV 11, 16 secundum Lachmannum.

Omphale in tantum formae processit honorem,
lydia gygaeo tincta puella lacu,
ut, qui pacato statuisset in orbe columnas
tam dura traheret mollia pensa manu.

et IV 9, 47 sqq.[1]):

idem ego sidonia feci servilia palla
officia et lydo pensa diurna colo,
mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
et manibus duris apta puella fui.

Quibus versibus Petersi sententiam frangi non est, cur fusius explicemus. Etiam infeliciore cura versatus est in versu 73 cum 84 copulando; nam quod coniecit scribendum esse:

'*inter ioniacas calathum tenuisti puellas*'

hoc a rei metricae legibus prorsus abhorrere iam Ehwaldius recte animadvertit[2]).

Sed redeamus ad Lehrsium. Cui fieri non potest, ut toto animo accedam in extremis versibus[3]) poetae consilium atque institutum ut stultum et perquam inficetum sugillanti, quippe qui Deianiram litteris exarandis operam navantem repente strophas componere fingat. Licet enim hanc elegiae particulam haud satis elegantem esse putes, tamen non omni ratione carere iam Birtius intellexit, qui l. l. p. 408: '*quam perversitatem*', inquit, '*in probatulo est, sibi concessisse Ovidium nulla alia ratione, quam ut totam, quantum quidem ad Deianirae fata pertinet, tragoediam sui carminis finibus complecti posset. Ad quod perpetrandum si illam viam, qua usum videmus respuisset, una tantum restabat, eaque perversior, ut totam post nuntium acceptum epistulam scribi fingeret.*' Quibus addas ea, quae W. Zingerleius l. l. pag. 24 Palmero auctore[4]) protulit, versum intercalarem, qui in fine huius carminis invenitur, magno argumento esse debere, nonam epistulam ab

1) Vel V 9, 47 secundum Lachmannum.

2) Bursiani annall. XXXI p. 174.

3) Leguntur inde a v. 143.

4) P. Ovidii Nasonis Heroides XIV edited by Arthur Palmer. London 1874. p. 88.

Ovidio ipso profectam esse, imitatorem vix periclitaturum fuisse adfirmans, rem apud Ovidium rarissimam adoptare; nam occurrere eam non nisi Amor. I 6, ubi verba '*excute poste seram*' quinquies pentametri clausula repetantur[1]).

Porro ut omnis dubitatio funditus tollatur, Birtius l. l. versu illo intercalari:

'*impia quid dubitas Deianira mori?*'

poetam verba Deianirae sophocleae expressisse observavit, quae v. 719 fabulae graecae haec loquitur:

καίτοι δέδοκται κεῖνος εἰ σφαλήσεται,
ταὐτῇ σὺν ὁρμῇ κἀμὲ συνθανεῖν ἅμα.

Quae cum ita sint, satis intellectum puto, in nona heroide nullas inesse sententias, propter quas eam totam adulterinam esse oporteat.

§ 4.

In duodecima epistula a Medea ad Iasonem data, cuius argumentum iam Ovidio Amor. II 18, 23 scribenti obversatum esse supra probare studuimus, Lehrsius l. l. pag. CCL — CCLIV antiquam partem censuit delitescere post Senecae fabulam, quae '*Medea*' inscribitur, confectam et recentiore tempore ab uno vel pluribus mediocris ingenii hominibus haud paucis versibus auctam. Ac primum quidem hic argumenti conspectum subicimus.

Inducit poeta Medeam Iasonis animum ingratum obiurgantem, suorum in illum meritorum magnitudinem praedicantem, denique exigentem, ut se rursus in uxoris locum restituat. Verba eius haec fere sunt: 'Quondam', inquit, 'cum summo esses in periculo, ego te tutata sum (v. 1. 2). Mallem ipsa prius diem supremum obissem (v. 3—6), vel Argonautae numquam navem ad Colchidem appulissent, ne formosa tua figura captari potuissem (v. 6—12), vel tu res tam periculosas molitus interisses (v. 13—20). Nam inde ex illo tempore in continuas incidi calamitates, ut iam id solum mihi gaudio sit, quod culpam tuam reprehendere

1) v. 24. 32. 40. 48. 56.

possim' (v. 21. 22). Itaque Iasonem ad praeteriti temporis memoriam excitans, eum, cum in terram plane ignotam venisset (v. 23—30) numquam profecto Aeetae mandata exsecuturum fuisse adfirmat (v. 31—52), — neque enim tunc Creusam aut Creontem ei quicquam profuisse (v. 53. 54) — nisi ipsa amore capta postquam diu cunctata esset, illum adiuvare statuisset (v. 55—66). Repetit simul clandestinum illud colloquium in delubro Dianae habitum, quo Iaso ope sua implorata (v. 67—82) se semper ipsam uxorem habiturum esse iure iurando ac fide sanxerit (v. 83—92). Quo cum factum esset, ut se adiuvante laboribus sibi impositis perfungeretur (v. 93—108) se prae illius amore cognatos, patriam, regnum, pudicitiam neglexisse (v. 109—112); quin etiam pro eius salute fratre interempto detestabile admisisse flagitium ideoque dignam fuisse, quae eodem modo necaretur aut una cum Iasone fluctibus maris a dis ultoribus submergeretur (v. 113—126)[1]). Sed in Graecia quoque se commodis eius inservisse ostendit (v. 127—132). Nihilo secius nunc una cum liberis ab illo exturbari (v. 133—136). Summo deinde colore sui ipsius maerorem atque luctum inlustrat, Iasonem aliam ducere uxorem pedetemptim sentientis[2]) (v. 137—158). Iam, quod homines sibi carissimos turpiter prodiderit, iustas se ac debitas poenas solvere exclamat (v. 159. 160), si patria amissa a viro quoque, in quem tot tantaque contulerit beneficia, destituta (v. 161—168) noctes et dies acerrimis invidiae stimulis concitetur (v. 169—180). At non eam esse, quae iniuriam acceptam aequo animo ferat (v. 181. 182); sed precibus Iasonem malle adire, ut liberorum, quos ex se susceperit, miseritus iura sibi erepta reddat (v. 183—194); quod non tam difficile esse factu quam ea, quae quondam ille in Colchorum finibus a se expetierit

1) Nulla est idonea causa, cur Lehrsius l. l. p. CCLII in versibus 115—126 et rude argumentum et barbaras sententias inesse dixerit; quod vero idem de elocutione horum versuum contendit, infra examinabimus.

2) Permirum est a Lehrsio post v. 136 novi coniugii commemorationem desiderari; satis enim superque illud videtur esse significatum.

(v. 195—198). Sed si quaerat, ubi dos sua sit: — hac enim Creusam excellere haud ignorabat — eo referantur necesse esse cum vellus aureum, tum reliqua, quae non solum de Iasone, verum etiam de tota Graecia bene meruerit (v. 199—204). Neque minus eum id ipsum suo debere beneficio, quod Creusam ducere possit (v. 205. 206). Ita Medea postquam Iasoni omnia effudit, quae sentiret, in fine epistulae iniurias sibi inlatas sese ulturam esse iterum minatur (v. 207—212).

Nunc de mendis agendum est, quibus Lehrsius putavit hanc epistulam scatere. Ac primo quidem obelo usus est in versibus 11 sq.:

> *'cur mihi plus aequo flavi placuere capilli*
> *et decor et linguae gratia ficta tuae?'*

Sed cum verba illa cum nexu orationis optime cohaereant neque quicquam vir ille doctissimus addiderit, quo sententiam suam fundaret, ratiocinationem eius me latere ingenue fateor.

Ad versus 53 sq. me converto:

> *'quam tibi nunc longe regnum dotale Creusae*
> *et socer et magni nata Creontis erat'*

in quos pariter invectus est atque in versus 103 sq.:

> *'Dotis opes ubi erant? ubi erat tibi regia coniunx*
> *quique maris geminas distinet Isthmus aquas'.*

Hoc disticho altera illa periculorum, quibus Iaso defunctus erat, descriptio clauditur, quam Lehrsius secundum Met. VI 134 factam multo aliter quam priorem sese habere dixit; idem utroque disticho easdem contineri sententias videret, alterutrum ficticium esse contendit. Quod contra reputandum videtur, re bis varium in modum tractata nullum adferri languorem, a nuda repetitione legentium animis abhorrentibus; neque vero in eo posse offendi, quod nonnulli versus metamorphoseon versibus similes inveniantur, postmodo demonstrabitur. Alterutrum autem distichon insiticium esse mihi persuadere nequeo. Quid enim mirum, a Medea, cum id summopere agat, ut sua ipsius officia maximis laudibus efferat, pericula, e quibus

Iasonem extraxerat, saepius commemorari et Creusae opes verbis plus uno loco quam maxime extenuari?

Multo etiam suspiciosior Lehrsio altera epistulae pars inde a versu 169 videbatur[1]). Atque ut taceam hoc loco de elocutione ab illo vituperata, permirum esse contendenti, quod Medea versu 180 dicat:

'*flebit et ardores vincet adusta meos*'

proinde ac si novam nuptam cremare animum iam induxerit, cum vv. 181 et 207 sqq. eam, quid faciat, adhuc incertam esse appareat, illud opponendum, si versus 180 modo citatus statim excipiatur ab illis:

'*dum ferrum flammaeque aderunt sucusque veneni*',
hostis Medeae nullus inultus erit'.

haec verba nonnisi ad admirabiles ac paene divinas Medeae vires inluminandas addita prioribus minime repugnare; porro si eadem versu 207 dicat:

'*quos equidem actutum — sed quid praedicere poenam attinet*'

id considerandum videtur, non uno tantum modo Creusam cum suis igni pessumdari potuisse, eam autem viam, quam postea Medeam secutam esse aliunde constat, versu 180 non indicari, ita ut poena quodam modo in medio relinquatur. Ceterum adnotare oportet, verbum '*adurere*' non solum de igni dici, sed etiam ad alias res transferri, quibus idem vel parilis effectus edatur. Si vero tales locos respicias, quales exstant apud Ovid. Heroid. IV 33:

'*at bene successit digno quod adurimur igni*'

et Horat. Carm. I 27, 15 sqq.:

'*quae te cumque domat Venus*
non erubescendis adurit
ignibus'

1) In transcursu volo commemorare Ehwaldium Bursiani annall. XXXI p. 175 recte versus 168—171 a Petersio l. l. p. 30 in dubium vocatos defendisse, cum iis demptis sententias, quae insint in versibus antecedentibus, nimis contrahi diceret.

haud longe abest coniectura, poetam, cum scriberet '*ardores vincet adusta meos*', non de flammis sed de amoris vi cogitasse, praesertim cum vocabulum '*ardores*' quoque non propria significatione hoc ipso loco adhiberi videas.

Breviter Lehrsius tetigit versus 189 sqq., ubi Medea liberos suos respiciens dicit:

'*et nimium similes tibi sunt, et imagine tangor*
et quotiens video, lumina nostra madent'

ex iis effici statuens, ut Medea liberos suos ob eam solam causam diligere miseramque eorum sortem videatur deplorare, quia Iasonis sint simillimi. Sed hoc poetam dicere voluisse negaverim, similitudinem autem, quae intercedat inter Iasonem et filios, tantopere a Medea laudari putaverim, ut, quantum quidem possit, paternum eius amorem excitet. Neque vero una cum Lehrsio potest autumari, hos ipsos versus, cum iis, quae sequuntur:

'*per superos oro, per avitae lumina flammae,*
per meritum et natos, pignora nostra, duos'

non convenire, quia eo demum loco nati in medium videantur prodire. Eodem enim iure ex his versibus omnes eos locos, quibus Medea merita sua praedicat, exstirpandos esse concluderemus.

Vix autem credibile est, Lehrsium proximos versus:

'*redde torum, pro quo tot res insana reliqui,*
adde fidem dictis, auxiliumque refer'.

sensu plane cassos perhibuisse. Ecquid, quaeso, aliud erat, quod Medea ab Iasone flagitaret? Nonne manifestum est, summae ei fuisse curae, ut ab illo denuo in matrimonium reciperetur?

Superest, ut addam Lehrsium versus 201 sq.:

'*aureus ille aries villo spectabilis alto*
dos mea; quam dicam si tibi "redde" neges.'

haud recte percepisse, cum Medeam id significare crederet, fore ut omnia bene sese habeant, si vellus aureum recuperarit. Quod contra apparet, eam Medeae esse sententiam, ut

Iasonem non modo se in uxoris locum restituturum, sed ne vellus quidem aureum redditurum esse putet. Legibus enim tum Graecorum tum Romanorum sanctum erat, ut vir uxori si temere repudium misisset, dotem acceptam restitueret[1]).

§ 5.

Accedo ad tertiam decimam epistulam a Laodamia ad Protesilaum datam, de qua Lehrsius quamquam l. l. p. CCXXXIX iudicium satis iniquum fecit, tamen eam uno disticho excepto versibus adscriptis negavit, esse amplificatam, sententiis nonnunquam male cohaerentibus inter se mulieris sollicitudinem haud inscite depingi concedens.

Summa autem totius carminis haec fere est: Salute versibus 1. 2 praemissa Laodamia audisse sese ait. Graecos Aulide ventis adversis mari prohiberi (v. 3). Idem si Protesilao domo profecturo accidisset, diutius se illo praesente frui potuisse (v. 4—16). Tunc cum ventis secundis se dedisset, se ipsam animo lictam esse narrat (v. 17—26). Melius profecto futurum fuisse, si extemplo animam efflasset (v. 27. 28). Nam inde ex illo tempore vitam sese degere ab hilaritate atque iucunditate longissime remotam (v. 29—42). Itaque Paridis devovet caput, quippe qui dolorum suorum auctor sit (v. 43—46). Sed in Menelai quoque persona constare causam interitus multorum (v. 47. 48). Iam ut coniunx saltem incolumis redeat, deos precatur (v. 49. 50). Sed anxiam sese esse adfirmat, quotienscumque de bello imminente cogitet (v. 51—54). Paridi enim sat magnas vires suppetere, ita ut optime se defendere possit (v. 55—62). Maxime vero se ab Hectore metuere: hunc ut vitaret Protesilaus prospiceret atque provideret (v. 63—66) neve unquam uxoris immemor in periculum inconsulto se mitteret (v. 67—78). Etiam Troianos rhetorice cohortatur, ut viro suo parcant (v. 79—84). Atque ne nimis temerarium se praestet, eum refert, cum discederet, pedem ad limen offen-

1) Cf. K. Fr. Hermanni Antiquitates Graecorum privatas tertium anno 1882 editas ab Hugone Bluemnero p. 265 et Rein. in Pauli Encycl. II p. 1255.

disse (v. 85—92). Praeterea videret, ne primus e classe descenderet in terram troianam; in fatis enim esse, ut hic sine mora mortem oppetat (v. 93—100). At contra reverti maturaret (v. 101. 102). De illo reduci se nocte et interdiu cogitare ostendit (v. 103—122). Quam spem extenuari et evanescere, ubi belli troiani sibi in mentem venerit (v. 123—124). Neque enim bonum esse augurium, quod Graeci Aulide ventorum vi retineantur (v. 125—136). Troadibus se invidere ait, quia viris non cariturae sint (v. 137—150); sed sibi nihil nisi ceream viri imaginem praesto esse, quam blanditiis a se cumulari narrat (v. 151—158). Iam finem scribendi factura Laodamia se fortunarum omnium sociam et participem fore iurat et ut caute agat, Protesilaum iterum hortatur (v. 159—166).

In hac igitur epistula duobus tantum versibus Lehrsi scrupulos esse motos iam animadverti. Sunt vv. 155 sq.:

> '*crede mihi, plus est, quam quod videatur imago,*
> *adde sonum cerae Protesilaus erit.*'

qui ei a totius carminis ratione prorsus videbantur alieni. Quam sententiam Petersius l. l. p. 37 hisce verbis conatus est firmare: '*Imaginis laudes plane absurdum in modum augentur, quasi nihil differat caerea statua et maritus, nisi quod loqui non possit illa; profecto potius insultat ita in maritum et quaecunque antea de desiderio suo dixerat, attenuat abicitque.*' Ab his ego ita dissentio, ut Ehwaldium Bursiani annall. XXXI p. 176 recte monuisse arbitrer, illis versibus, quos modo attulimus, causam aperiri, cur Laodamia antea versibus 153 sq. dicat:

> '*illi blanditias, illi tibi dedita verba*
> *dicimus, amplexus accipit illa meos.*'

Idem quoque observavit, si versibus 155 sq. sublatis hunc locum ita legeremus:

> '*illi blanditias, illi tibi debita verba*
> *dicimus, amplexus accipit illa meos.*
> *hanc specto teneoque sinu pro coniuge vero*
> *et, tamquam possit verba referre, queror.*'

fore, ut pronomen 'ille' ter positum mirum in modum exciperetur a pronomine 'hic'.

§ 6.

Restat, ut quartam decimam epistulam in iudicium vocemus, Hypermestrae[1]) a poeta tributam, quam Lehrsius l. l. p. CCXL bonam esse dixit, si eam comparaveris cum ceteris heroidibus; et usque ad versum 84 aequabilem atque temperatam. Itaque hanc partem separatim tractemus.

Salute v. 1. 2 praemissa Hypermestra Lynceum certiorem facit, se domi in catenis teneri, quia nefario sororum scelere abstinuerit (v. 3—6). Sed nihilo minus ad ultimum testatur supplicium se progredi malle, quam se peccasse concedere (v. 7—16). Adeo enim se facinus illud aversari, ut caedis memoria revocata adhuc tota mente atque omnibus artubus contremiscat. Quamvis igitur horrenda sint relatu, tamen sese omnia deinceps narraturam esse promittit (v. 17—21). Hanc autem narrationem, quae continetur versibus 22—84 cum toto fabulae argumento valde congruere perspicuum fit versibus 77 sqq., ubi Lynceum perexiguo ad fugiendum spatio relicto de multis rebus esse celatum comperimus.

In hac particula Lehrsius circumscriptos voluit versus 59—62:

> 'si manus haec aliquam posset committere caedem,
> morte foret dominae sanguinulenta suae.
> aut meruere necem patruelia regna tenendo,
> quae tamen externis danda forent generis?'

Causam non addidit vir clarissimus neque potest ulla idonea indagari. Nam rectissime Hypermestram his versibus videmus considerare, quantam iniuriam viro necato commissura sit. Extremum autem versum in optimo codice parisino excidisse nullius est momenti. Etenim Petersius l. l. p. 45 sqq. illos errare luculenter demonstravit, qui hac in re eam normam statuant, ut ad unum omnes versus, qui non sint in codicibus melioris notae, omnino deleantur.

1) Hanc formam ubique exhibet optimus codex parisinus.

Iam alteram partem contemplemur, qua Lehrsius subito carminis consilium atque rationem mirabiliter mutari contendit, Luciano Muellero in Mus. rhenan. vol. XVII (1862) p. 193 sq.[1]) ferme eodem modo iudicante.

Hypermestra igitur postquam rettulit, qui factum sit, ut ipsa in vincula coniceretur, Iunonem huius miseriae dicit auctorem esse. Illam enim totam gentem odio persequi inde ex Ius temporibus (v. 85. 86), cuius fortuna adversa in iuvencam conversae et sede incerta huc atque illuc vagantis versibus 87—108 depingitur. 'Sed', inquit, 'quid vetera conquiro, cum iam nobis ipsis mala abunde omnia sint?' (v. 109—122). Itaque petit ab Lynceo, ut sibi aut auxilium ferat aut occisae clam iusta solvat (v. 123—132).

Atque illa quidem, quae ornandi causa de Io in carmen inclusa sunt, a proposito eius minime aliena esse, iam W. Zingerleius l. l. pag. 39 perspexit; ante omnia autem falsa Lehrsi et Muelleri opinio tollenda est, quod ab epistulae natura illud crediderunt multum distare, quod poeta Hypermestram saepius Ionem fecerit adloquentem. Habes enim similia VII 105:

'*nulla mora est, venio tibi dedita coniunx.*'

et XI 111—116.

Porro si Lehrsius quaerit, quomodo et ubi Lynceus Hypermestram interficere possit aut cur eam occulte curet comburendam, ad eum locum legentes delegemus necesse est, ubi de tertiae heroidis versibus 67—82 egimus; hic id tantum notabimus, Hypermestram verisimile esse timuisse, ne pater inhumatam se proici iuberet. Ceterum longum est ea retractare argumenta, quibus W. Zingerleius l. l. Muelleri de hoc carmine sententiam recte videtur infregisse. Neque vero in ultimo disticho a Lehrsio et a Petersio l. l. pag. 37 sq. in dubium vocato esse offendendum Ehwaldius observavit Bursiani annall. XXXI pag. 176.

Haec habui, quae de horum carminum interna forma atque specie exponerem. Iam satis arbitror apparere sensum

1) Kritische Beiträge zu einigen römischen Autoren p. 180—201.

in iis nusquam adeo interrumpi vel detorqueri, ut ea ab Ovidi natura atque indole dissidere credamus necesse sit. Summa autem est cautio adhibenda, ne quis in carminibus ovidianis naevos inesse posse praefracte negans nodum, ut aiunt, in scirpo quaerere consuescat.

IV.

Quoniam semel ad hunc locum ventum est, haud alienum erit a proposito, rem paullo uberius tractare, quam omnes, qui de heroidibus huc usque disceptarunt, aut prorsus neglexerunt aut primoribus tantum labris attigerunt.[1]) Constat enim Ovidi id proprium fuisse, ut in singulis carminum libris easdem sententias eademque argumenta iterum atque iterum in usum vocaret. Quod si hanc consuetudinem in heroidibus quoque deprehendamus, eam rem luce clarius est maximo esse argumento, poemata illa ex eiusdem Ovidi ingenio provenisse, praesertim cum neminem poetarum romanorum se ipsum tam frequenter exscripsisse videas, quam vatem sulmonensem. Et inveniuntur tam crebro in heroidibus eius rationis exempla, ut larga nobis scribendi materies parata sit.

Perpauca tantum libet proferre de epistularum initiis. Nam iam Vahlenus singulari libello[2]) praeclare demonstravit initia carminum I—IV. XIII. XIV non modo inter se congruere atque consentire, sed etiam cum iis epistulis, quae Met. IX 530 et in Tristibus et in libris ex Ponto datis occurrunt, mirum quantum concordare. Etiam carminibus V—XII olim similia exordia fuisse praefixa, idem vir doctus satis videtur probasse.[3])

Saepenumero heroinae mala, quibus sollicitentur viris absentibus, die leviora, nocte paene intolerabilia esse dicunt. Cf. I 7—10:

---

1) Cf. perbrevem mentionem de hac re a Petersio l. l. p. 47 factam et raras W. Zingerlei observationes, quae occurrunt l. l. p. 18. 29. 30. 32.

2) Über die Anfänge der Heroiden des Ovid. Berolini 1881.

3) Minime recte Petersius l. l. p. 47 sqq. hanc sententiam impugnasse putandus est. Cf. Ehwald, Burs. annall. XXXI p. 176.

'*non ego deserto iacuissem frigida lecto*
non quererer tardos ire relicta dies
nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem
lassaret[1]) *viduas pendula tela manus.*'

XI 29 sq.:

'*nec somni faciles et nox erat annua nobis*
et gemitum nullo laesa dolore dabam.'

VIII 105—110:

'*cum tamen altus equis Titan radiantibus instat,*
perfruor infelix liberiore malo.
nox ubi me thalamis ululantem et acerba gementem
condidit in maesto procubuique toro,
pro somno lacrimis oculi funguntur obortis,
quaque licet, fugio sicut ab hoste viro.'

IX 39 sq.:

'*me pecudum fibrae simulacraque inania somni*
ominaque arcana nocte petita movent.'

XII 57—61:

'*ut positum tetigi thalamo male saucia lectum*
acta est per lacrimas nox mihi, quanta fuit.
ante oculos taurique meos segetesque nefandae,
ante meos oculos pervigil anguis erat.
hinc amor, hinc timor est. ipsum timor auget amorem.'

169 sq.:

'*non mihi grata dies; noctes vigilantur amarae*
nec teneram misero pectore somnus habet.[2])

XIII 103—110:

'*sive latet Phoebus, seu terris altior exstat,*
tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.
nocte tamen quam luce magis. nox grata puellis
quarum suppositus colla lacertus habet.'

et quae deinceps sequuntur.

---

1) Praeferenda est hoc loco codicis etonensis lectio '*lassaret*' quae optimam praebet sententiam; guelferbytani: '*lassasset*' calami lapsu orta est.

2) Hoc loco cur Merkelius et Palmer lectionem in codd. parisino et guelferbytano traditam mutarint, non patet.

Ad haec mala pertinet, quod puellae multifariam timorem significant, ne quid adversi viro amato accidat. Cf. I 11—22:

'*quando ego non timui graviora pericula veris?*
res est solliciti plena timoris amor.
in te fingebam violentos Troas ituros
nomine in hectoreo pallida semper eram.
sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum
Antilochus nostri causa timoris erat.
sive, Menoetiaden falsis cecidisse sub armis,
flebam successu posse carere dolos.
sanguine Tlepolemus lyciam tepefecerat hastam,
Tlepolemi leto cura novata mea est.
denique quisquis erat castris iugulatus achivis,
frigidius glacie pectus amantis erat.'

71—74:

'*quid timeam ignoro, timeo tamen omnia demens,*
et patet in curas area lata meas.
quaecumque aequor habet, quaecumque pericula tellus
tam longae causas suspicor esse morae.'

II 15—18:

'*interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,*
mersa foret cana naufraga puppis aqua.
saepe deos supplex, ut tu scelerate valeres;
cum prece turicremis devenerata focis.'

VI 73 sq.:

'*adde preces castas, inmixtaque vota timori,*
nunc quoque te salvo persolvenda mihi.'

IX 35—38:

'*ipsa domo vidua, votis operata pudicis,*
torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.
inter serpentes aprosque avidosque leones
iactor et esuros[1]) *terna per ora canes.*'

1) Cum id, quod in codd. parisino et guelferbytano legitur '*haesuros*' ferri nequeat, Heinsius '*esuros*' e codicibus aliquot deterioribus recte videtur recepisse. Itaque supervacua est Gilberti coniectura '*Ad Ovidi heroides quaestionum criticarum et exegeticarum*', quae prodierunt a. 1887. Misenae, p. 9 '*hausuros*' proponentis.

XIII 63—84:

'*Hectora nescio quem timeo . .*'

et quae deinceps sequuntur.

123 sq.:

'*sed cum Troia subit, subeunt ventique fretumque*
spes bona sollicito victa timore cadit.'

149 sq.:

'*nos sumus incertae. nos anxius omnia cogit,*
quae possunt fieri, facta putare timor.'

His locis illi sunt adfines, quibus mulierum animos nuntio quodam accepto vel excitata rei terribilis memoria maxime videmus perturbari. Atque I 21 sq. iam citavimus.

Adde v. 45 sq.:

'*usque metu micuere sinus, dum victor amicum*
dictus es ismariis isse per agmen equis.'

V 37 sq.:

'*attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit,*
ut mihi narrasti, dura per ossa tremor.'

X 31 sq.:

'*aut vidi, aut tamquam quae me vidisse putarem,*
frigidior glacie semianimisque fui.'

III 59 sq.:

'*quod scelus ut pavidas miserae mihi contigit aures,*
sanguinis atque animi pectus inane fuit.'

IX 135 sq.:

'*mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus,*
et iacet in gremio languida facta manus.'

XII 141 sq.:

'*pertimui, nec adhuc tantum scelus esse putabam:*
sed tamen in toto pectore frigus erat.'

XIV 17 sq.:

'*cor pavet admonitu temeratae sanguine noctis*
et subitus dextrae praepedit ossa tremor.'

37 sq.:

'*sanguis abit mentemque calor corpusque relinquit,*
inque novo iacui frigida facta toro.'

Ut metum et terrorem, sic etiam luctum doloremque feminae aequabili quadam ratione prae se ferunt. Cf. V 71 sq.:

'tunc vero rupique sinus et pectora planxi
et secui madidas ungue rigente genas'.

VI 27:

'protinus exilui, tunicisque a pectore ruptis' . . .

X 15 sq.:

'protinus adductis sonuerunt pectora palmis
utque erat e somno turbida, rapta coma est.'

XI 91 sq.:

'tunc demum pectora plangi
contigit inque meas unguibus ire genas.'

III 15:

'at lacrimas sine fine dedi rupique capillos.'

XII 153 sq.:

'protinus abscissa planxi mea pectora veste
tuta nec a digitis ora fuere meis.'

XIV 51:

'purpureos laniata sinus, laniata capillos.'[1])

Accedit plus uno loco timor amantis, ne aliena puella viro amato potita sit; qui quidem indicatur: I 75 sq.:

'haec ego dum stulte metuo, quae vestra libido est
esse peregrino captus amore potes.'

II 103 sq.:

'quid precor infelix? te iam tenet altera coniunx
forsitan et nobis qui male favit amor.'

VII 17 sq.:

'alter amor tibi restat habendus et altera Dido:
quamque iterum fallas, altera danda fides.'

III 37 sq.:

'cumque tot his — sed non opus est tibi coniuge — coniunx
ex agamemnoniis una puella tribus.'

---

1) W. Zingerleius l. l. p. 30 comparavit Am. I 7, 50 et 65. Trist. III 3, 51.

111—118:

'si tibi nunc dicam "fortissime, tu quoque iura
nulla tibi sine me gaudia facta", neges.
at Danai maerere putant. tibi plectra moventur,
te tenet in tepido mollis amica sinu'.

et quae deinceps sequuntur.

Adiciam XII 175—178:

'forsitan et, stultae dum te iactare maritae
quaeris et iniustis auribus apta loqui,
in faciem moresque meos nova crimina fingas:
rideat et vitiis laeta sit illa meis.'

quem locum similem esse illi, qui legitur I 77 sq.:

'forsitan et narres, quam sit tibi rustica coniunx,
quae tantum lanas non sinat esse rudes.'

iam W. Zingerleius l. l. p. 29 recte animadvertit.

Animi cura et dolore significato haud raro puellae sese manum sibi inferre malle testantur, quam viro amato diutius carere.[1]) Cf. II 133—144:

'hinc mihi suppositas inmittere corpus in undas
mens fuit. et quoniam fallere pergis, erit.'

et quae deinceps sequuntur.

VII 181 sq.:

'si minus, est animus nobis effundere vitam.
in me crudelis non potes esse diu.'

X 76—150, inprimis v. 81 sq.:

'occurrunt animo pereundi mille figurae
morsque minus poenae, quam mora mortis habet.'

III 143 sq.:

'qua si destituor, repetam fratresque virumque
nec tibi magnificum femina iussa mori.'

IX 146—168.

Persaepe autem mortem iam fuisse obituras cupiunt, priusquam a viro desererentur. Cf. II 59 sq.:

---

1) Cf. Peters. l. l. p. 17.

'*quae fuit ante illam, mallem suprema fuisset*
nox mihi, dum potui Phyllis honesta mori.'

X 77 sq.:

'*me quoque qua fratrem mactasses, improbe, clava:*
esset, quam dederas, morte soluta fides.'

XI 21 sq.:

'*o utinam, Macareu, quae nos commisit in unum,*
venisset leto serior hora meo.'[1])

XII 3—5:

'*tunc quae dispensant mortalia fata sorores*
debuerant fusos evoluisse meos.
tum potui Medea mori bene.' — —

Hic adiungam locos nonnullos argumento haud multum diversos ab iis, quos modo commemoravimus. Continentur enim iis puellarum vota, quae compleri iam non possint. Sunt autem hi:

I 5 sq.:

'*o utinam tum, cum Lacedaemona classe petebat,*
obrutus insanis esset adulter aquis.'

IV 125 sq.:

'*o utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum,*
in medio nisu viscera rupta forent.'

VII 91 sq.:

'*his tamen officiis utinam contenta fuissem*
et mihi concubitus fama sepulta foret.'

X 99—103:

'*viveret Androgeos utinam, nec facta luisses*
impia funeribus, cecropi terra tuis:
nec tua mactasset nodoso stipite Theseu,
ardua parte virum dextera, parte bovem:
nec tibi quae reditus monstrarent, fila dedissem.'

VIII 83 sq.:

'*Pelides utinam vitasset Apollinis arcus!*
damnaret nati facta proterva pater.'

---

1) Similis est sententia, etiamsi Canace a viro non est derelicta.

XII 15—20. 121—126:

'*compressos utinam Symplegades elisissent,*
nostraque adhaererent ossibus ossa tuis,
aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos!
— — — — — — — — — —
quaeque vomit totidem fluctus totidemque resorbet,
nos quoque trinacriae subposuisset aquae.'

XIII 5—7:

'*tum freta debuerant vestris obsistere remis*
illud erat saevis utile tempus aquis.
oscula plura viro mandataque plura dedissem.'

Malorum enumerationi opponi solet praeteriti temporis recordatio. Itaque saepius memoria repetitur illius momenti, quo vir discessurus erat, et quidem II 91—98:

'*Illa meis oculis species abeuntis inhaeret,*
cum premeret portus, classis itura meos.
ausus es amplecti, colloque infusus amantis
oscula per longas iungere pressa moras,
cumque tuis lacrimis lacrimas confundere nostras,
quodque foret velis aura secunda, queri,
et mihi discedens suprema dicere voce
"*Phylli fac*[1]) *expectes Demophoonta tuum*".'

1) Sedlmayer hoc loco solam codicis etonensis lectionem secutus praebet '*face expectes*', parisino et guelferbytano '*fac expectes*' exhibentibus. Iam forma '*face*' aut casus ablativus vocis '*fax*' esse debet aut imperativus vetustus atque obsoletus verbi '*facio*', quem raro apud veteris comoediae latinae scriptores occurrere notum est. Sed alterum ad huius loci sententiam non quadrare liquido apparet, alterum ab Ovidi sermone abiudicandum videtur. Neque vero ad formam '*face*' defendendam aptus est versus Medicaminis faciei 60: '*in haec solidi sexta face assis eat*'. Nam optimi codices '*fac*' habent. Cf. Medic. fac. ed. Ant. Kunz (Vindobonae 1881) p. 42. Praeterea ibi praecepta dat poeta legentibus et facile fieri potuit, ut in tali re a sui ipsius temporis sermone recedens vetustiorem ideoque magis solemnem formam adhiberet. Hic autem res prorsus aliter sese habet, cum poeta Phyllida et Demophoonta inter se colloquentes faciat, ita ut formae non nisi cotidiani sermonis locum esse certum sit. Saepenumero autem in libris manuscriptis voces integrae vel litteris vel syllabis augentur similibus earum, quae insequantur. Idem hoc loco in etonensi factum esse confidenter pronuntio, cum prima vocis '*ex-*

V 43—52:

'*flesti discedens — hoc saltim parce negare.*
— — — — — — — — — —
et flesti et nostros vidisti flentis ocellos:
miscuimus lacrimas maestus uterque suas.
non sic adpositis vincitur vitibus ulmus,
ut tua sunt collo bracchia nexa meo.
— — — — — — — — —
oscula dimissae quotiens repetita dedisti
quam vix sustinuit dicere lingua "vale".'

VI 57—64:

'*tertia messis erat, cum tu dare vela coactus*
implesti lacrimis talia verba tuis:
"*abstrahor, Hypsipyle. sed dent modo fata recursus,*
vir tuus hinc abeo, vir tibi semper ero."
— — — — — — — — — —
— et lacrimis in falsa cadentibus ora
cetera te memini non potuisse loqui.'

XIII 7—14:

'*Oscula plura viro mandataque plura dedissem:*
et sunt quae volui dicere multa tibi.
— — — — — — — — — —
solvor ab amplexu, Protesilae, tuo,
linguaque mandantis verba imperfecta relinquit:
vix illud potui dicere triste "vale".'

Prae aliis autem ii loci commemoratione digni sunt, quibus puellae fidem erga dominum se semper servasse vel semper servaturas esse iurant. Cf. I 83 sq.:

'*tua sum, tua dicar oportet.*
Penelope coniunx semper Ulixis ero.'

---

pectes' littera duplicata et cum antecedente '*fac*' coniuncta formam '*face*' natam esse persuasum habeam. Addam Neuium: Formenlehre II² p. 349 recte monuisse, multis locis scribi vocalibus sequentibus '*dice, duce, abduce, circumduce, redduce, traduce, face*' ubi formae abbreviatae non modo facile possint substitui, verum etiam persaepe optimorum codicum fide commendentur. In quem numerum hic quoque locus referendus est neque dubito, quin in eundem numerum referendus sit versus ille Medicaminis faciei.

V 133:

'*at manet Oenone fallenti casta marito.*'

157 sq.:

'*sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis*
et tua, quod superest temporis, esse precor.'

III 103—110:

'*per tamen ossa viri subito male tecta sepulcro*
— — — — — — — — — —
perque trium fortes animas, mea numina, fratrum
— — — — — — — — — —
perque tuum nostrumque caput, quae iunximus una,
perque tuos enses, cognita tela meis:
nulla Mycenaeum sociasse cubilia mecum
iuro. fallentem deseruisse velis'.

VIII 117—122:

'*per genus infelix iuro generisque parentem,*
— — — — — — — — — —
per patris ossa tui, patrui mihi, quae tibi debent,
quod sic sub tumulo fortiter ulta iacent.
aut ego praemoriar, primoque extinguar in aevo,
aut ego Tantalidae Tantalis uxor ero'.

XIII 159—164:

'*per reditus corpusque tuum, mea numina, iuro*
perque pares animi coniugiique faces
perque, quod ut videam canis albere capillis,
quod tecum possis ipse referre, caput,
me tibi venturam comitem, quocumque vocaris,
sive — quod heu timeo, sive superstes eris'.

Non prorsus eandem, sed vero similem sententiam expressam videmus hisce locis: VII 167 sq.:

'*si pudet uxoris non nupta, sed hospita dicar.*
dum tua sit Dido, quodlibet esse feret'.

III 69:

'*victorem captiva sequar, non nupta maritum*'.

XII 109 sq.:

'*proditus est genitor, regnum patriamque reliqui.*
munus in exilio quodlibet esse tuli'.

Iam hic pedem sistamus. E maxima rerum copia summa quaeque delibavimus, ut concentus per singula carmina perspicuus videatur. Neque enim nobis hoc loco omnia persequi in animo fuit, cum id tantum demonstrare studeremus, easdem sententias a poeta in complures heroides esse transfusas plane eodem modo, quo in Ovidi carminibus amatoriis et in epistulis ab illo exule compositis eadem argumenta identidem repetita esse notum est. Quae res cum nostra demum aetate satis videtur esse intellecta, eam iam ab imitatore quodam perspectam et effictam esse minime est verisimile.

V.

Postquam de heroidum compositione dictum est, operae pretium facturus videor, si de rebus ad historiam fabularem spectantibus ita exponam, ut primum quibusnam ex fontibus manaverint, deinde quatenus Ovidius iisdem auctoribus usus sit, tum ubi eadem argumenta mythologica tractaverit et quomodo, quantum quidem possit, patefiat.

§ 1.

Atque cum tertiae heroidis auctor de consuetudine agat, quam inter Achillem et Briseidem intercessisse ex Iliade homerica comperimus, recte iam Loersius utroque carmine comparato nonnulla expiscatus est, in quibus romanum poetam graecum secutum esse cognovisset. Quae ille passim pressius angustiusque adnotavit, nobis colligere, disponere, multis vero locis, qui illum effugerunt, adnexis uberius aliquanto fusiusque tractare liceat.

Quod igitur ad amorem attinet, quo Briseidem in Achillem inflammatam esse tota epistula nos docet, respexisse poetam in promptu est ad A 348, ubi illa invita praecones comitata esse dicitur:

ἡ δ' ἀέκουσ' ἅμα τοῖσι γυνὴ κίεν.

quod quidem etiam magis apparet ex eo, quod primo versu[1]) Briseis se ipsam raptam appellat.

Hunc locum homericum poeta scite atque commode pertexuit, aliis quae ab Homero traduntur rebus in suum usum vocatis. Quas iam singulas perlustremus.

Atque versus 9. 10:

'nam simul Eurybates me Talthybiusque vocarunt,
Eurybati data sum, Talthybioque comes'

respondent optime versibus Hom. A 320—348, ubi Achilles ne minima quidem mora interposita praeconibus narratur morem gessisse. Verba autem *'data sum'*, non *'dedisti'* ideo posuit poeta, quia apud Homerum Briseidem non ab Achille ipso, sed a Patroclo traditam esse legerat.

Porro versibus 27—29:

'Venerunt ad te Telamone et Amyntore nati,
ille gradu propior sanguinis, ille comes,
Laërtaque satus, per quos comitata redirem'.

summatim perscribitur argumentum noni libri Iliadis, qui inscribitur: πρεσβεία πρὸς Ἀχιλλέα. Cuius legationis iterum mentio fit vv. 129 sq.:

'plus ego quam Phoenix, plus quam facundus Ulixes,
plus ego quam Teucri — credite! — frater agam'.

Quod vero priore loco Phoenix comes Achillis vocatur, hoc referendum est ad I 438 sqq. ubi ille de hoc ita loquitur:

σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεύς
ἤματι τῷ ὅτε σ' ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπεν,
νήπιον, οὔπω εἰδόθ' ὁμοίου πολέμοιο
οὐδ' ἀγορέων . . . . . .
τοὔνεκά μ' προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα
μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων.

Subsequitur versibus 31—38 enumeratio munerum ab Agamemnone Achilli oblatorum, quam non rebus tantum, verum etiam verbis interdum convenire cum I 122 sqq. (= 264 sqq., ad quae conferas T 243 sqq.) iam supra commemoravimus. Et quidem pares sunt hi versus:

1) *'quam legis a rapta Briseide littera venit'*, ad quem Loersius recte: *'per vim'*, inquit, *'et me invita ab Agamemnone abducta'*.

v. 31: viginti fulvos operoso ex aere lebetas I 123. 265. T 244 αἴθωνας λέβητας ἑείκοσι.

v. 32: et tripodas septem pondere et arte pares I 122. 224. (T 243) ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας.

v. 33: addita sunt illis auri bis quinque talenta I 122. 264 (cf. T 247) δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα.

v. 34: bis sex adsueti vincere semper equi I 123 sq. 265 sq. (T 244):

δώδεκα δ' ἵππους
πηγοὺς ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο.

v. 35. 36:

forma praestante puellae
lesbides, eversa corpora capta domo.

I 128—130. 270—272. (T 245):

δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκας, ἀμύμονα ἔργα ἰδυίας,
Λεσβίδας, ἅς, ὅτε Λέσβον ἐυκτιμένην ἕλεν αὐτός,
ἐξελόμην, αἳ κάλλει ἐνίκων φῦλα γυναικῶν.

v. 37. 38:

cumque tot his . . . . coniunx
ex agamemnoniis una puella tribus.

I 144—148. 286—290:

τρεῖς δέ μοί εἰσι θύγατρες ἐνὶ μεγάρῳ εὐπήκτῳ,
Χρυσόθεμις καὶ Λαοδίκη καὶ Ἰφιάνασσα.
τάων, ἥν κ' ἐθέλῃσι φίλην ἀνάεδνον ἀγέσθω
πρὸς οἶκον Πηλῆος . . . . . .

Ea quoque, quae versibus 45—50 de Briseidis eventis narrantur:

'*diruta marte tuo lyrnesia moenia vidi,*
et fueram patriae pars ego magna meae,
vidi consortes pariter generisque necisque
tres cecidisse: tribus, quae mihi, mater erat.
vidi, quantus erat, fusum tellure cruenta
pectora iactantem sanguinolenta virum'.

tracta sunt ex Homeri T 291—297:

ἄνδρα μὲν, ᾧ ἔδοσάν με πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
εἶδον πρὸ πόλιος δεδαϊγμένον ὀξέϊ χαλκῷ.

τρεῖς τε κασιγνήτους, τούς μοι μία γείνατο μήτηρ,
κηδείους οἳ πάντες ὀλέθριον ἦμαρ ἐπέσπον.

Vides quantus sit utriusque loci consensus. Ceterum eaedem res tanguntur in navium catalogo B 689—693:

κεῖτο γὰρ ἐν νήεσσι ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς,
κούρης χωόμενος Βρισήιδος ἠυκόμοιο.
τὴν ἐκ Λυρνησσοῦ ἐξείλετο πολλὰ μογήσας,
Λυρνησσὸν διαπορθήσας καὶ τείχεα Θήβης.
καδ' δὲ Μύνητ' ἔβαλεν καὶ Ἐπίστροφον ἐγχεσιμώρους,
υἱέας Εὐηνοῖο Σελητιάδαο ἄνακτος.

quem locum licet noverit epistulae auctor, tamen imitando eum minime expressisse pro certo potest adfirmari. Idem quoque eandem rem postea retractavit versibus 105 sq.:

'*perque trium fortes animas, mea numina, fratrum,*
qui bene pro patria cum patriaque iacent'.

Adde etiam v. 143:

'*repetam fratresque virumque*'.

Dubium autem est, num poeta cum versum 52 scriberet:

'*tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras*'

memor fuerit loci Hom. Z 429 sq.:

Ἕκτορ' ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

praesertim cum apud alios poetas romanos similia exstent, sicut Propert. I 11, 23 sq.:

'*Tu mihi sola domus, tu, Cynthia sola parentes,*
omnia tu nostrae tempora laetitiae'.

et Valer. Flacc. Argon. III 323 sq.:

'*Tu mihi qui coniunx pariter fraterque parensque*
solus et a prima fueras spes una iuventa'.

ita ut ea sententia ex Homero ad poetas alexandrinos transmigrare, inde facile ad Romanos transferri potuisse negari nequeat. Quamquam versus 20:

'*quamlibet ad Priami munus itura nurum*'

ad eiusdem Iliadis libri versus 244 sqq. pertinere verisimile esse iam supra commemoravi. Magnus enim quinquaginta nuruum numerus videtur indicari vocabulo '*quamlibet*'.

Versus 57. 58:

'*quin etiam fama est, cum crastina fulserit eos,*
te dare nubiferis lintea plenis notis'

comparandi sunt cum Hom. I 682 sq. (cf. etiam v. 356):

αὐτὸc δ' ἠπείληcεν ἁμ' ἠοῖ φαινομένηφιν
νῆac ἐυccέλμουc ἅλαδ' ἑλκέμεν ἀμφιέλιccac.

Quibus locis eadem quoque constructio adhibetur, cum infinitivus temporis praesentis '*dare*' futuri loco '*daturum esse*' positus sit, ita ut eo verbum ἑλκέμεν accurate exprimi pateat.

Versus 61—82, quibus Briseis orat Achillem, ut ipsam secum auferat, originem videntur duxisse ex Hom. I 434 sqq., ubi Phoenix similem voluntatem declarat:

εἰ μὲν δὴ νόcτον γε μετὰ φρεcὶ, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ,
βάλλεαι, οὐδέ τι πάμπαν ἀμύνειν νηυcὶ θοῇcιν
πῦρ ἐθέλειc ἀίδηλον, ἐπεὶ χόλοc ἔμπεcε θυμῷ,
πῶc ἂν ἔπειτ' ἀπὸ ceῖο, φίλον τέκοc, αὖθι λιποίμην
οἷoc;

videsis in primis heroidis versus 61 sq.:

'*Ibis et — o miseram! — cui me, violente, relinquis?*
quis mihi desertae mite levamen erit?'

et versus 67 sq.:

'*Si tibi iam reditusque placent patriique penates,*
non ego sum classi sarcina magna tuae.'

In eadem epistulae particula vv. 71. 72:

'*Inter Achaeiadas longe pulcherrima matres*
in thalamos coniunx ibit eatque tuos.'

depromptos esse ex Hom. I 395 sqq.:

πολλαὶ Ἀχαιίδεc εἰcὶν ἀν' Ἑλλάδα τε Φθίην τε
. . . . . .
τάων ἥν κ' ἐθέλωμι φίλην ποιήcομ' ἄκοιτιν.

satis iam apparet e forma '*Achaeiadas*', quae a scriptoribus romanis alias non usurpata hoc loco a Merkelio et a Sedlmayero[1]) recte est restituta.

1) Cf. huius programma, quod inscribitur: Kritischer Commentar zu Ovids Heroiden. Wien 1881. p. 8.

Versibus 92—97:

'*coniugis Oenides versus in arma prece est.*
. . . . . *fratribus orba*
devovit nati spemque caputque parens.
bellum erat: ille ferox positis secessit ab armis
et patriae rigida mente negavit opem;
sola virum coniunx flexit'.

habes epitomam rerum, quae ab Homero I 529—599 oratione amplissima narrantur.

Versus 113 sq.:

'*tibi plectra moventur,*
te tenet in tepido mollis amica sinu'.

desumpti sunt ex Hom. I 186 sqq.:

τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ.
. . . . . .
τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.

ubi Achillem vocum et fidium cantu otium oblectasse comperimus, et ex eiusdem libri versibus 164 sq.:

τῷ δ' ἄρα παρκατέλεκτο γυνή, τὴν Λεσβόθεν ἦγεν,
Φόρβαντος θυγάτηρ, Διομήδη καλλιπάρῃος.

ubi ipsum nomen editur puellae, quae in Briseidis locum successerat. Denique versu 147 sq.:

'*me petat ille tuus, qui si dea passa fuisset,*
ensis in Atridae pectus icturus erat'.

respicit poeta ad notum illum locum A 193 sqq., quo Achilles a Minerva vix impeditur, quominus stricto gladio in Agamemnonem invadat.

Hae potissimae sunt Homeri imitationes et maxime notabiles. Nonnulla etiam supplenda sunt. Sic Agamemnon v. 109 Mycenaeus appellatur ex animo Homeri, qui eum Mycenis regnasse dicit,[1]) cum Aeschylus Argis illius sedem fuisse tradat. Etiam quid sibi velit v. 126 '*pelias hasta*', discimus ex Hom. Π 142 sqq., ubi a Pelio monte eam oriundam fuisse legimus:

Πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε Χείρων
Πηλίου ἐκ κορυφῆς.

1) Cf. H 180. Λ 46. γ 305.

Verba autem v. 151 '*neptunia Pergama*' explicantur fabula illa etiam Homeri temporibus trita, qua Neptunum et Apollinem Laomedonti regi Troiae muros construxisse accepimus. Cf. H 452 et Φ 440.

Sed si Loersius Ulixis cognomen, qui v. 129 facundus appellatur, e Γ 221 fluxisse contendit:

ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει
καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν,
οὐκ ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆί γ' ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.

poetam minime credo de hoc ipso loco cogitasse, cum plus uno loco eximia Ulixis facundia ab Homero praedicetur.[1])

Iam contemplemur eas res, quibus poeta latinus aliqua ex parte ab Homero differat. Breviter tantum eas fabulae notas comprehendam, quae sicut totius epistulae dispositio a poeta fictae atque excogitatae ab Homeri narratione re vera non discrepent.

Primum commentum invenitur versibus 11. 12, ubi poeta praecones mirantes facit, quod Achilles puellam amatam tam cito tradat. Et est mirum, Achillem A 298 sq. haec dicere:

χερσὶ μὲν οὔ τοι ἔγωγε μαχήσομαι εἵνεκα κούρης
οὔτε σοι οὔτε τῷ ἄλλῳ, ἐπεί μ' ἀφέλεσθέ γε δόντες.

Neque vero praecones homerici verbis eius fidem videntur habuisse, cum utrumque anxie timideque Agamemnonis mandata confecturum ipse adhortetur necesse sit, ut propius accedant (v. 324 sqq.). Quod igitur Homerus nescio quo pacto omisit, epistulae auctorem expresse dixisse manifestum est.

Minime autem ad Homerum redeunt, quae versibus 117—120 de Briseide fugam meditante referuntur. Quod contra versibus sequentibus si Patroclus Briseidem, cum ab Achille discederet, solatus esse dicitur, hoc optime quadrat cum loco homerico Τ 287 sqq., ubi eum semper comiter sese erga illam gessisse comperimus. Quin etiam verba v. 24 '*quid fles*' efficta videntur e versibus Τ 295 sqq.:

οὐδὲ μὲν οὐδέ μ' ἔασκες, ὅτ' ἄνδρ' ἐμὸν ὠκὺς Ἀχιλ- [λεὺς
ἔκτεινεν, πέρσεν δὲ πόλιν θείοιο Μύνητος,
κλαίειν.

1) Cf. modo Β 182 sqq. Ι 180; multos alios locos.

Commenticiae prorsus sunt res, quae continentur hisce versibus 53 sq.:

'*Tu mihi iuratus per numina matris aquosae*
utile dicebas ipse fuisse capi.'

v. 70:

'*est mihi, quae lanas molliat apta manus.*'

v. 101 sq.:

'*Me quaedam, memini, dominam captiva vocabat:*
"*Servitio,*" *dixi,* "*nominis addis onus*".'

In paucis his additamentis nihil inesse videmus, quod ab Homero alienum sit.

Nonnullis aliis locis longe aliter res sese habet. Nam si poeta v. 28 Aiacem telamonium Achilli gradu propiorem sanguinis fuisse testatur, sese accommodasse putandus est ad fabulam Homero ignotam, qua Aeacum Telamonis et Pelei patrem, itaque Aiacem et Achillem fratres fuisse percepimus. Itemque nondum ab Homero nominatur Aegina, Aeaci mater, cuius v. 73 una cum Iove mentio fit, cum Iovem patrem eius fuisse Φ 189 legamus. Aegina autem primum commemoratur hymni in Apollinem delium compositi versu 31[1]) et a Pindaro Pyth. VIII 98 et Isthm. VII 18 sqq. In eo quoque poeta ab Homero recessit, quod v. 136 Achillis filium non Neoptolemum, sed Pyrrhum appellavit; quod nomen saepius recurrit in epistula octava, quam ad tragoediam graecam conformatam esse postea exponemus.

Superest, ut addamus in versibus 27—38, quibus dona enumerantur, desiderari viginti Troades et septem urbes, quas I 136 sqq. Agamemnon sese Achilli daturum esse pollicetur. Eodem loco omittitur iusiurandum illud, quo rex sese Briseidem intactam servasse confirmat I 132—134; quod a poeta latino postea versibus 105—110 apte Briseidi ipsi tribuitur.

Videmus igitur tertiae epistulae auctorem Iliadem tam studiose lectitasse, ut pusillis quoque rebus atque minutis plerumque Homeri fabellis nitatur, in primis autem nonum librum quantum quidem posset, imitatione videtur expressisse.

---

1) νῆσός τ' Αἰγίνης ναυσικλειτὴ τ' Εὔβοια.

Cum vero ab exemplari graeco iis tantum locis discederet, quibus aliquid deesse animadvertisset, factum est, ut quamvis quaedam amplificaret, tamen nusquam res proferret, quae ab Homero prorsus abhorrerent.

Iam si quaerimus, num in iis carminibus, quae omnium consensu Ovidio tribuuntur, similes interdum loci occurrant, quibus sese ad Homeri carmina applicasse aut certum aut verisimile sit, hoc ita esse negari non potest. Quod quo melius perspiciatur, adiciam exempla quaedam exquisita.[1])

Atque Amor. I 7, 31 sq.:

'*Pessima Tydides scelerum monimenta reliquit.*
ille deam primus perculit.'

affluxisse ei verisimile est ex Hom. Ε 336, ubi Diomedes Venerem, Aeneam protegentem, in manu dicitur vulnerasse.

Amor. I 9, 39 sq.:

'*Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit.*
Notior in caelo fabula nulla fuit.'

pertinent ad Hom. θ 266—326. De eodem adulterio Art. amat. II 561—589 copiosius quam hic, sed brevius quam apud Homerum agitur, ita tamen, ut nonnulla sat crassa Minerva, quemadmodum decet carminis illius naturam, addantur. Quae amplificandi ratio valde videtur congruere cum tertiae heroidis compositione.

Amor. I 10, 53 sq.:

'*carpite de plenis pendentes vitibus uvas,*
praebeat Alcinoi poma benignus ager.'

referendi sunt ad Alcinoi hortorum descriptionem, qualem habes η 112—131.

Amor. I 13, 1 sq.:

'*iam super oceanum venit a seniore marito*
flava pruinoso quae vehit axe diem'.

---

1) Similitudines et imagines, quae Ovidio cum Homero communes sunt, diligenter conlectas Ioannes Andreas Washietl inlustravit a. 1883 in dissertatione vindobonensi, quae est '*de similitudinibus imaginibusque Ovidianis*' p. 5—43 et aliis passim locis, quos ex indice licet cognoscere.

spectant ad notissimos illos versus homericos Λ 1 sqq., ε 1 sqq.:

Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο
ὤρνυθ' ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι ἠδὲ βροτοῖσιν.

et Τ 1 sqq.:

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἀπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων
ὤρνυθ' ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι ἠδὲ βροτοῖσιν.

Maxime vero notabilis est locus Hom. Δ 141 sq.:

ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα, γυνὴ φοίνικι μιήνῃ
Μήονις ἠὲ Κάειρα.

quem Ovidius Amor. II 5, 39 sq. ad hunc modum transformavit:

'*aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,*
maeonis assyrium femina tinxit ebur.'[1])

Art. amat. II 400 sq.:

'*audierat laurumque manu vittamque ferentem*
pro nata Chrysen non valuisse sua'.

comparandi sunt cum Hom. A v. 12—32, imprimis cum v. 13:

στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

Etiam permultos alios locos ad Homeri exemplum Ovidius adumbravit, quos omnes hic persequi longum est. Illud tantum addam eos ad studiorum homericorum historiam haud parvo momento esse videri, quam ut aliquis conscribere aggrediatur summopere optandum esse, iam abhinc annos quinquaginta septem Lehrsius dixit in dissertatione '*de ironia, quatenus in historia studiorum homericorum cernitur*'[2]).

Sed priusquam ad aliam rem transeamus, longius disputandum videtur de prima epistula, e qua Ovidium Homeri vestigia imitando pressisse etiam multo magis quam e locis supra collatis cognoscitur. Scripta fingitur multis annis postquam Troia a Graecis capta est atque diruta.

Atque ea, quae Penelope v. 7 sq. dicit:

'*non ego deserto iacuissem frigida lecto,*
non quererer tardos ire relicta dies'

1) Cf. Washietl p. 37 sq.

2) Edita est ab Ludovico Friedlaendero Regimonti anno 1879.

bene conveniunt cum Penelopae homericae querimoniis, quae leguntur τ 511—517:

αὐτὰρ ἐμοὶ καὶ πένθος ἀμέτρητον πόρε δαίμων·
ἤματα μὲν γὰρ τερπομένη γοόωσα
— — — — — — — — — —
αὐτὰρ ἐπὴν νὺξ ἔλθῃ ἕλῃσί τε κοῖτος ἅπαντας,
κεῖμαι ἐνὶ λέκτρῳ, πυκιναὶ δέ μοι ἀμφ' ἀδινὸν κῆρ
ὀξεῖαι μελεδῶνες ὀδυρομένην ἐρέθουσιν

et υ 83 sqq.:

ἀλλὰ τὸ μὲν καὶ ἀνεκτὸν ἔχει κακὸν, ὁππότε κέν τις
ἤματα μὲν κλαίῃ, πυκινῶς ἀκαχήμενος ἦτορ,
νύκτας δ' ὕπνος ἔχῃσιν —
— — — — — — — — — —
αὐτὰρ ἐμοὶ καὶ ὀνείρατ' ἐπέκκευεν κακὰ δαίμων.

Etiam in epistulae versibus, quae statim sequuntur[1]), Penelope curam suam et animi angorem saepius significat.

Eadem versu 10 loquitur de se texente; etiam Homerus illam huic operi intentam fuisse multis locis narrat, sicut α 357, β 85 sqq., φ 350.

Versus 17 sq.:

'*sive Menoetiaden falsis cecidisse sub armis,*
flebam successu posse carere dolos.'

spectant ad praeclarum Iliadis librum Πατρόκλεια inscriptum. '*Falsa*' autem '*arma*' sunt Achillis arma, quae Patroclus Π 40 sqq. traditur induisse, ut amici specie Troianos iam naves oppugnantes consterneret. Ceterum verbo '*dolos*' Penelopen Ulixis astutiam atque calliditatem et in Iliade et in Odyssea concelebratam voluisse significare, iam Kuinoel recte intellexit. Cf. modo γ 120 sqq.:

ἔνθ' οὔτις ποτὲ μῆτιν ὁμοιωθήμεναι ἄντην
ἤθελ', ἐπεὶ μάλα πολλὸν ἐνίκα δῖος Ὀδυσσεύς
παντοίοισι δόλοισι.

et quae deinceps sequuntur.

Id quoque nolo omittere, quod hoc loco, sicut Heroid.

1) v. 11 sqq.

III 23, Patroclus patronymico apud Homerum usitatissimo Menoetiades appellatur.

Versus 19 sq.:

'*sanguine Tlepolemus lyciam tepefecerat hastam:*
Tlepolemi leto cura novata mea est.'

inlati sunt e Hom. Ε 627 sqq., ubi Sarpedon, Λυκίων βουληφόρος, Tlepolemum hasta transfigit.

Versus 25:

'*argolici rediere duces, altaria fumant*'

et qui deinceps sequuntur similes sunt versibus homericis α 11 sqq.:

ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες, ὅσοι φύγον αἰπὺν ὄλεθρον,
οἴκοι ἔσαν, πόλεμόν τε πεφευγότες ἠδὲ θάλασσαν.

neque tamen dici potest Ovidium hunc ipsum locum ante oculos habuisse.

Ad versum 28 iam Loersius recte adnotavit, vocabulum, quod hic de Graecorum feminis[1]) usurpatur, positum esse ex imitatione Homeri, ut colorem homericum et antiquitatem carmen habere videretur. Idem ad versum 34[2]) observavit et hoc epitheton sumptum esse ex Homero et passim apud veteres scriptores Priamo tribui, collata locutione ὁ γέρων Πρίαμος Ν 368 Φ 526.

Versus 36:

'*hic lacer admissos terruit Hector equos*'

respondet Χ 395 sqq. et Ω 1 sqq., ubi Achilles Hectorem curru religatum per campum raptat. Lacer autem Hector vocatur, quia Χ 369—371 corpus eius a Graecis multis plagis vulneratum esse narratur.

Versibus 39—46 attinguntur res in decimo Iliadis libro perscriptae, ubi Diomedes et Ulixes noctu speculandi causa in Troianorum castra missi, Dolone hostium speculatore, quem ad castra navalia euntem interceperant, necato postquam Rhesum, Thracum regem, qui modo Troianis subvenerat, et duodecim alios Thraces somno oppressos obtrun-

1) '*Nymphae*' appellantur.
2) '*Priami senis*'.

carunt, equis illorum raptis ad suos revertuntur. Itaque versu 46 de Ulixe dicitur:

'*victor amicum*
dictus es ismariis isse per agmen equis.'

Ismarus enim Thraciae erat mons et oppidum iam ab Homero ι 40 et 198 commemoratum. Adiectivum '*ismarius*' igitur idem est, quod '*thracius*'.

Versibus 63—66 Penelope mentionem facit itineris pylii et spartani a Telemacho suscepti, quod in tertio atque quarto Odysseae libro copiose describitur. Atque illud etiam versibus 37 sq. commemoratur.

Versu 67 Troia nominatur '*moenia Phoebi*'; hanc locutionem optime quadrare ad Her. III 151 ('*neptunia Pergama*') ex iis, quae supra exposuimus, apparet.

Versibus 75 sq.:

'*quae vestra libido est*
esse peregrino captus amore potes.'

nescio an Ovidius de Calypsus amore cogitaverit in quinto Odysseae libro depicto.

Versus 81 sq.:

'*me pater Icarius viduo descendere lecto*
cogit et inmensas increpat usque moras.'

bene conveniunt cum Penelopae verbis o 16 sq.:

ἤδη γάρ ῥα πατήρ τε κασίγνητοί τε κέλονται
Εὐρυμάχῳ γήμασθαι.

Quod vero ad patris Icari nomen attinet, constanter Penelopen κούρην Ἰκαρίοιο in Odysseae carminibus videmus appellari. Cf. modo α 329, λ 446, φ 321 multos alios locos.

Versus 87 sqq.:

'*Dulichii Samiique et quos tulit alta Zacynthos*
turba ruunt in me luxuriosa proci.
inque tua regnant nullis prohibentibus aula:
viscera nostra, tuae dilacerantur opes.'

conversi sunt e Hom. π 122 sqq.:

ὅσσοι γὰρ νήσοισιν ἐπικρατέουσιν ἄριστοι
Δουλιχίῳ τὲ Σάμῃ τε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ

ἠδ' ὅσσοι κραναὴν Ἰθάκην κάτα κοιρανέουσιν,
τόσσοι μητέρ' ἐμὴν μνῶνται, τρύχουσι δὲ οἶκον
— — — — — — — — — —
— τοὶ δὲ φθινύθουσιν ἔδοντες
οἶκον ἐμόν.

Comparandus etiam est locus ξ 92:

κτήματα δαρδάπτουσιν ὑπέρβιον οὐδ' ἔπι φειδώ.

Ad versus 91 sq.:

'*quid tibi Pisandrum Polybumque Medontaque dirum*
Eurymachique avidas Antinoique manus
atque alios referam, quos omnis turpiter absens
ipse tuo partis sanguine rebus alis.'

Cf. χ 240 sqq.:

μνηστῆρας δ' ὥτρυνε Δαμαστορίδης Ἀγέλαος
Εὐρύνομός τε καὶ Ἀμφιμέδων Δημοπτόλεμός τε
Πείσανδρός τε Πολυκτορίδης Πόλυβός τε δαΐφρων.
οἱ γὰρ μνηστήρων ἀρετῇ ἔσαν ἔξοχ' ἄριστοι.

Pisander etiam commemoratur χ 268, c 299, Polybus χ 284, saepissime autem Eurymachus et Antinous. De Medonte infra verba faciemus. Addendum est, versum iam antea adlatum:

κτήματα δαρδάπτουσιν ὑπέρβιον, οὐδ' ἔπι φειδώ

accurate respondere verbis '*turpiter alis*' (v. 94).

Vv. 96 sq.:

'*Irus egens pecorisque Melanthius actor edendi*
ultimus accedunt in tua damna pudor.'

Irus Odysseae libro duodevicesimo nobilitatus in proverbium venit; in primis autem cf. v. 25 Ἶρος ἀλήτης et v. 333 (393) Ἶρον ἀλήτην.

De Melanthio vel Melantheo — utraque forma exstat apud Homerum — cum aliis locis agitur tum ρ 212 sqq.:

ἔνθα σφέας ἐκίχανε υἱὸς Δολίοιο Μελανθεύς
αἶγας ἄγων, αἳ πᾶσι μετέπρεπον αἰπολίοισιν.
δεῖπνον μνηστήρεσσι· δύω δ' ἅμ' ἔποντο νομῆες.

et v. 173 sq.:

ἀγχίμολον δέ σφ' ἦλθε Μελάνθιος αἰπόλος αἰγῶν
αἶγας ἄγων μνηστήρεσσι· δύω δ' ἅμ' ἔποντο νομῆες.

Verba, quae leguntur v. 98: '*Laertesque senex*' respondent ω 233, ubi Laertes γήραϊ τειρόμενος vocatur.

Versibus 99 sq. Penelope de Telemacho haec loquitur:

'*ille per insidias paene est mihi nuper ademptus,*
dum parat invitis omnibus ire Pylon'

iterum nempe respiciens ad pylium Telemachi iter, quod invitis procis suscepit. Quorum insidias δ 842 sqq. paratas eum Minerva adiutrice effugisse e libro decimo quinto comperimus.

Ad versus 101 sq.:

'*di precor hoc iubeant, ut euntibus ordine fatis*
ille meos oculos comprimat, ille tuos'.

Loersius adnotat, morem illum, ut per cognatos morientium oculi concluderentur, iam apud Homerum ω 295 et λ 426 occurrere. Sed tamen valde dubium videtur, num Ovidius horum versuum memor fuerit, cum eundem ritum apud Romanos legitimum fuisse nemo nesciat.[1])

Versibus 103 sq.:

'*hac faciunt custosque boum longaevaque nutrix,*
tertius immundae cura fidelis harae'

ii Ulixis servi denotantur, qui propter singularem dominis fidem praebitam in Odysseae carminibus maximis ornantur laudibus. Atque custos boum est Philoetius, cuius fidelitas erga Ulixem manifesta fit υ 185, quique postea illum procos perimentem adiuvat (χ). De Euryclea longaeva nutrice α 434 sq. haec legimus:

καὶ ἕ (scil. Telemachum) μάλιστα
δμωάων φιλέεσκε καὶ ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα

et alias eius saepenumero mentionem fieri in ultimis Odysseae libris satis est notum; nec magis Eumaeum immundae harae curatorem Ulixi in periculis summam praestitisse fidem est cur fusius explicemus (cf. ξ et ο).

Ex iis, quae adhuc disputavimus, satis clarum esse puto, Ovidium huius epistulae argumentum ex uberrimo fabularum homericarum penore deprompsisse, ita ut eius ratio ab illo,

1) Cf. Marquardt: Antiquitat. roman. privat. I² (1886) p. 346.

qui tertiam heroidem composuit, nihil prorsus differat; praesertim cum in hoc quoque carmine poetam latinum nonnulla de suo addidisse adfirmare possim. Quae iam singula persequamur, ne quis dubio relinquatur locus.

Atque tota epistula omni careret probabilitate, nisi versus 59—62 adicerentur:

'quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim,
ille mihi de te multa rogatus abit:
quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
traditur huic digitis charta notata meis'.

Quod versibus 5 sq. Penelope sese optare profitetur:

'o utinam tum, cum Lacedaemona classe petebat,
obrutus insanis esset adulter aquis'

apud Homerum non habet, cui respondeat; tamen non est dissentaneum ei, quippe quae in tanta sollicitudine versetur.

Sine Homeri exemplo excogitavit Ovidius versus 25—36, quibus Penelope bello finito reditum Graecorum mente et cogitatione comprehendit; sed hic quoque nonnullae res ad fontem homericum facile possunt reduci; sicut non longe abest suspicio, quin versu 28:

'illi victa suis troica fata canunt'

Phemi et Demodoci cantus significare voluerit poeta, quippe quibus res ante Troiam gestae continerentur. cf. α 355 sqq., θ 73 sqq. 499 sqq.

Ab Homero autem aliena est sigeia tellus versu 33 commemorata. Porro de suo Ovidius omnia addidisse putandus est, quae versibus 51—56 de Troiae urbis fortuna narrantur:

'uni mihi Pergama restant,
incola captivo quae bove victor arat;
iam seges est, ubi Troia fuit, resecandaque falce
luxuriat phrygio sanguine pinguis humus,
semisepulta virum curvis feriuntur aratis,
ossa ruinosas occulit herba domos'.

Denique si Penelope v. 85 sq. de patre suo ut ipsa novo viro nubat cupiente dicit:

'ille tamen pietate mea precibusque pudicis
frangitur et vires temperat ipse suas'

hoc apud Homerum non invenitur; sed nullo alio modo intellegi potest, qui factum sit, ut Icari auctoritas in hac re tam parum valuerit.

Restat, ut discrimina in iudicium vocemus, quae intersunt inter primam heroidem et Homeri carmina; quae multo plures sunt quam in tertia epistula. Praemonendum autem est de versibus 15. 37. 63. 80. 91. 100 iam Loersium in commentario suo ad versum 63 egisse.[1]) Quocum de eo minime consentio, quod in versu 81 modo tractato ab Homeri auctoritate poetam plane discessisse contendit. In ceteris vero rebus cum sententiam eius libenter accipiam, sufficere arbitror, singula, quae ille recte animadvertit, hic breviter enotare.

V. 15 Antilochus ab Hectore victus esse dicitur, quem Homerus δ 187 et Pindarus Pyth. VI 28 sqq. a Memnone Aurorae filio necatum esse tradunt.

Vv. 37 et 63 Telemachum a Penelope ipsa Pylum ut patrem quaereret, missum esse Ovidius narrat, cum Homerus in altero Odysseae libro eum inscia matre Pylum profectum esse referat.

V. 91 Medon dirus in procorum numero commemoratur, quem apud Homerum δ 677, π 252, ρ 123 χ 357, procorum praeconem fuisse et erga Penelopen Telemachumque comem se semper atque benevolum praestitisse legimus.

Versus 99 sqq. non conveniunt cum Homero, qui procos Telemacho revertenti non iter ingredienti, ut Ovidius dicit, insidias struxisse fingat.

Ad illas differentias a Loersio enucleatas accedunt hae:

Versu 43 Penelope Ulixem ait ausum esse:

'totque simul mactare viros adiutus ab uno'

cum Homerus Κ 488 Diomedem Ulixe adiuvante duodecim Thraces necasse testetur.

Versibus 87 sq., ubi proci enumerantur, desunt ii, qui Ithacae habitabant. Qui cum numero admodum pauci essent cumque λ 122 sqq. ultimo loco ponerentur, Ovidium facile effugere potuerunt. Similiter in tertia epistula decurtatam

1) Comparentur etiam illa, quae Iurenka l. l. p. 31 sq. protulit.

esse vidimus munerum enumerationem ab Agamemnone Achilli oblatorum.

Denique illud volo commemorare Penelopen versu 98 data opera aliquid de Telemachi annis, cum eum puerum appellet, ideo videri diminuere, ut sui ipsius inopia eo maior putanda sit. Nam in Odyssea eum videmus iam aetate florere.

Quodsi igitur tertiae epistulae rationem comparabimus cum prima, Ovidium in Homeri carminibus tractandis fere eandem viam secutum esse inveniemus, quam tertiae epistulae auctorem, nisi quod hic rarius ab exemplari graeco recedat, quam ille; unde licet cognoscere tertiam epistulam consummatiorem esse atque etiam digniorem Ovidio quam primam.

Earum heroidum, quas constat genuinas esse, quinta quoque in argumento versatur ad bellum troianum spectante. Sed Paridis et Oenonae amor, a quo Ovidius in hoc carmine initium fecit, apud Homerum nondum commemoratur. Itaque merito hanc heroidem hoc loco missam faciemus, id solum addere liceat, quamquam non longe absit suspicio, quin Ovidius in illa epistula componenda carmen epicum, quod τὰ Κύπρια inscribitur, secutus sit, tamen minime eam confirmari iis rebus, quae nobis de hoc ipso carmine cum ex aliis scriptoribus tum e Procli libello Χρηστομάθεια inscripto innotuerunt.[1])

Atque nomen Oenonae primum occurrit apud poetas aevi alexandrini, sicut apud Bionem II 11; Quint. Smyrn. X 262 —484, ita ut Ovidium in quinta heroide alexandrinorum poetarum aemulum exstitisse veri sit simillimum.

Iam quaerendum videtur, Ovidius res in tertia heroide perscriptas num usquam tractaverit et quomodo.

Atque in metamorphosibus, quibus fabulam troianam contineri notum est, obiter tantum memoriam inicit simultatum, quas Achilles cum Agamemnone exercebat, XIII 442 sqq., ubi legimus de Achillis umbra ex humo escendente:

'*similisque minanti*
temporis illius vultum referebat Achilles,
quo ferus iniusto petiit, Agamemnona ferro'.

1) Cf. Henrichsen: De carminibus cypriis disputatio. Havniae a. 1828 p. 18 sqq. et Welckeri librum, qui inscribitur: Der epische Cyklus oder die Homerischen Dichter. Bonnae 1835 p. 300 sqq.

Etiam Lyrnesi ab Achille expugnatae nonnisi in transcursu memor fit XII 108:

'*cum lyrnesia primus*
moenia deieci'.

et XIII 176.

Briseidis autem amor ne verbo quidem tangitur. At contra in iis carminibus, quae aetate propius ad heroides accedunt, locos plus minusve ad hanc rem pertinentes haud raro invenimus, velut Amor. I 9, 33 sqq.:

'*ardet in abducta Briseide magnus Achilles,*
dum licet argolicas frangite, Troes, opes.'

Amor. II 8, 11:

'*Thessalus ancillae facie Briseidos arsit.*'

Art. amat. II 711—714:

'*Fecit et in capta Lyrneside magnus Achilles,*
cum premeret mollem lassus ab hoste torum;
illis te tangi manibus, Brisei, sinebas,
imbutae phrygia quae nece semper erant.'

Art. am. III 189 sq.:

'*Briseida pulla decebant,*
cum rapta est, pulla tum quoque veste fuit.'

Rem. am. 777—784:

'*Hoc et in abducta Briseide flebat Achilles,*
illam plisthenio gaudia ferre toro.
nec frustra flebat, mihi credite. fecit Atrides,
quod si non faceret, turpiter esset iners.
— — — — — — — — — —
nam sibi quod numquam tactam Briseida iurat
per sceptrum, sceptrum non putat esse deos.'

Quodsi Ovidium huius fabulae exemplo saepius usum esse apparet, nihil certe obstat, quominus eandem in heroidibus quoque componendis ab illo adhibitam esse arbitremur, cum eodem modo se fabulam ad Ulixem et Penelopen spectantem usurpasse ipse Amor. II 18 testetur.

§ 2.

Octavae heroidis fabulam non e carmine epico sed e tragoedia aliqua sumptam esse perpaucis potest demonstrari. Neque enim facile quisquam epicum carmen investigaverit, quo historia de Hermiona modo exornandi causa intexta reperiatur, nedum totum illa compleatur; quod contra ex abundante dramatum graecorum copia compluria ultro sese offerunt, quae in disquisitionem vocari queant. Accedit, quod Birtius animadversionibus supra laudatis in epistulis IV, X, XII componendis Sophoclis et Euripidis fabulas Ovidio vel ei, qui illum secutus est, ad imitandum fuisse propositas praeclare ostendit, ita ut earum heroidum rationem plane eandem esse pateat, quam in epistulis I et III ad Homeri exemplum expressis adhibitam esse vidimus. Ac nescio an non nemo, qui hanc epistulam inspexerit, primo cogitet de Euripide, a quo Orestis et Andromachae fortunam cum Hermionae vita artissime iunctam duobus tragoediis, quae ab illis nomina traxerunt, inlustrari omnes, qui litteris sunt eruditiores, probe sciunt. Sed quamquam in his fabulis res nonnullae insint, quae etiam in octava epistula recurrant, sicut par est in consimili argumento, tamen epistulae auctorem illas ipsas evolvisse non modo comprobari non potest, verum etiam minime est verisimile, si versus 31—36 contemplemur, ubi Hermione Oresti persuadere conata, ut se ipsam a Pyrrhi iniuriis vindicet, haecce loquitur:

> '*Me tibi Tyndareus, vita gravis auctor et annis,*
> *tradidit. arbitrium neptis habebat avus.*
> *cum tibi nubebam, nulli mea taeda nocebat:*
> *si iungar Pyrrho, tu mihi laesus eris.*'

Tantum enim abest, ut Euripides Hermionen a Tyndareo Oresti collocatam esse finxerit, Menelao filiam Pyrrho promittente, ut Orest. v. 1654 sqq. Apollinem in hunc modum verba facere videamus:

> ἐφ' ἧc δ' ἔχειc, Ὀρέcτα, φάcγανον δέρῃ,
> γῆμαι πέπρωταί c' Ἑρμιόνην. δc οἴεται
> Νεοπτόλεμοc γαμεῖν νιν, οὐ γαμεῖ ποτε.

Neque vero ei rei nimis tribuendum esse, quod in Andromache euripidea Hermionam Neoptolemo nuptam inveniamus, docent versus 966 sqq. eiusdem fabulae: (sunt verba Orestis)

ἐμὴ γὰρ οὖcα πρὶν
cὺν τῷδε ναίειc ἀνδρὶ coῦ πατρὸc κάκῃ,
ὃc πρὶν τὰ Τροίαc εἰcβαλεῖν ὁρίcματα
γυναῖκ' ἐμοί cε δοὺc ὑπέcχεθ' ὕcτερον
τῷ νῦν c' ἔχοντι, Τρωάδ' εἰ πέρcοι πόλιν.

Nam hic quoque non Tyndareo sed Menelao auctore Hermionen Oresti pactam esse legimus et quidem bello troiano nondum incohato, cum poeta latinus Menelao iam profecto illud accidisse narret.

Quae cum ita sint, sequitur, ut aliorsum nos convertamus necesse sit, si octavae epistulae fontem detegere velimus. Atque ut missis ambagibus aperiam, quid sentiam, coniecturam a Birtio l. l. pag. 400 prolatam rectam mihi videri pronuntio; qui causis non additis eam epistulam Sophoclis fabulae deperditae, quae Ἑρμιόνη inscribebatur, optime respondere dixit. Etsi enim exceptis uno versu et uno vocabulo de hac fabula nihil ad nostra tempora pervenit, nisi perbreve Eustathi summarium, tamen pauxillae hae reliquiae ad id, quod nos volumus, demonstrandum sufficiunt. Conferantur modo Eustathi verba, quae habes apud Nauckium in eo libro, quo fragmenta tragicorum graecorum conlegit, pag. 140[1]): Coφοκλῆc δέ, φαcίν, ἐν Ἑρμιόνῃ ἱcτορεῖ ἐν Τροίᾳ ὄντοc ἔτι Μενελάου ἐκδοθῆναι τὴν Ἑρμιόνην ὑπὸ Τυνδάρεωc τῷ Ὀρέcτῃ· εἶτα ὕcτερον ἀφαιρεθεῖcαν αὐτοῦ ἐκδοθῆναι τῷ Νεοπτολέμῳ κατὰ τὴν ἐν Τροίᾳ ὑπόcχεcιν. et quae deinceps sequuntur. Hoc igitur loco cum a Tyndareo Hermionam Oresti in matrimonium tradi videamus Menelao in Troianorum finibus morante, cumque Neoptolemo ab hoc fidem esse datam narretur, tempus, locum, personas optime convenire cum iis, quae Heroid. VIII 31—35 referuntur, liquido apparet. Accedit alia quoque res, qua nostra sententia valde videatur

1) Apud Dindorfium VIII 210 editionis oxoniensis[3] 1860.

confirmari. Versu 54 enim[1]) poetam sequi Sophoclem, qui Aegisthum auctor sit ab Oreste in eodem cubiculo, quo ab Aegistho Agamemnonem, occisum esse, iam Loersius recte animadvertit, ita ut idem in Hermione quoque traditum fuisse verisimile sit.[2])

Iam si quaerimus Ovidius num res, quae in Heroid. VIII ex historia fabulari deprompta sunt, in suum usum vocaverit et quomodo, earum haud raro mentionem ab illo inici est concedendum. Primum autem de Tristium loco satis memorabili agatur, quo totius carminis argumentum e Sophoclis tragoedia adsumptum esse etiam magis comprobetur. Est Trist. II 381—406, ubi poeta, ut se de nimia carminum suorum lascivia purget, in ipsis tragoediis, gravissimo litterarum genere, levitatibus amatoriis latam exponit patere aream. Sed verba ipsius proferam:

'*Omne genus scripti gravitate tragoedia vincit:*
haec quoque materiem semper amoris habet.
Nam quid in Hippolyto est, nisi caecae flamma novercae?
nobilis est Canace fratris amore sui.
Quid? non Tantalides, agitante Cupidine currus,
pisaeam phrygiis vexit eburnus equis?
Tingueret ut ferrum natorum sanguine mater,
concitus a laeso fecit amore dolor.
Fecit amor subitas volucres cum pelice regem
quaeque suum luget nunc quoque mater Ityn.
Si non Aeropen frater sceleratus amasset,
aversos Solis non legeremus equos.
Impia nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos
ni patrium crinem desecuisset amor.
Qui legis Electran et egentem mentis Oresten,
Aegisthi crimen Tyndaridosque legis.
Nam quid de tetrico referam domitore Chimaerae,

---

1) '*inguloque Aegisthus aperto*
tecta cruentavit, quae pater ante tuus'.

2) Cf. Sophocl. Electr. 1495 sq.:

χώρει δ' ἔνθαπερ κατέκτανες
πατέρα τὸν ἀμὸν, ὡς ἂν ἐν ταὐτῷ θάνῃς.

quem leto fallax hospita paene dedit?
Quid loquor Hermionen, quid te, schoeneia virgo,
teque, mycenaeo Phoebas amata duci?
Quid Danaen Danaesque nurum matremque Lyaei
Haemonaque et noctes, quae coiere duas?
Quid generum Peliae, quid Thesea, quidve Pelasgum,
iliacam tetigit qui rate primus humum?
Huc Iole Pyrrhique parens, huc Herculis uxor,
huc accedat Hylas, Iliadesque puer.'

Et primum quidem hoc loco fabularum titulos invenimus, qui aut certo aut summa cum probabilitate ad Euripidem revocari queant. Sunt autem hi: v. 384 Αἴλοc cf. Nauck frgm. tragg. gr. pag. 291. v. 387 sq. Μήδεια. v. 391 Κρῆccαι (cf. Nauck pag. 401) vel eiusdem Πλειcθένης cf. Nauck pag. 438. v. 395 sq. Ὀρέcτης; fortasse etiam v. 402 Euripidis Antigone et non Sophoclis, quod manifestum videtur fieri ex argumento ad hanc fabulam ab Aristophane composito, quod habes apud Nauckium pag. 322. Porro v. 403 sq. Alcestis et Protesilaus (cf. Nauck. pag. 443 sqq.) v. 405 τὰ Cκύρια (Nauck pag. 452 sq.); forsitan Ἡρακλῆc μαινόμενοc verbis '*Herculis uxor*' indicetur.

Deinde Sophoclis fabulae videntur significari vv. 385 sq. et 389 sq. et quidem Ἱππoδάμεια et Τηρεύc (cf. Nauck. p. 185 et 204 sq.), cum v. 405 Iolen ad eiusdem Trachinias redire veri sit simillimum.

Neque vero Aeschylus deest, ad cuius Cεμέλην ἢ Ὑδροφόρουc pertinere putanda sunt verba illa, quae v. 401 leguntur: '*matremque Lyaei*' (cf. Nauck. p. 56 sqq.).

De tragicis autem minore laude florentibus, sicut de Neophronis vel Bioti vel Carcini Medea (in v. 387) et de Philoclis fabula, quae Ἔποψ inscribebatur (in v. 389) nemo serio cogitabit; praesertim cum reliqua, quae ibi nominantur, originis incertae dramata omnia uni alicui e tragoediae graecae triumviris impertiri posse resciverit. Etenim v. 383 referendus videtur aut ad Euripidis Hippolytum aut ad Phaedram Sophoclis (cf. Nauck p. 222 sq.); facile autem fieri potuit, ut Ovidius utrumque spectaret, sicut fortasse v. 395 utriusque Electram v. 398 Euripidis Cθενέβοιαν (cf. Nauck

p. 446 sqq.) et Ἰοβάτην Sophoclis (cf. eund. p. 154 sq.) v. 401 Euripidis Danaen (cf. Nauck p. 360 sqq.) et Sophoclis Acrisium (cf. eund. p. 113 sq.) et eodem versu utriusque Andromedam (cf. Nauck p. 124 sqq. et 312 sqq.) v. 403 utriusque Theseum (cf. Nauck p. 146 et 378 sqq.) denique v. 402 Sophoclis Amphitryonem (cf. Nauck p. 124) et Alcmenen Euripidis (cf. eund. p. 308 sqq.).

Etiam Aechyli Agamemnonem vel Sophoclis Αἴαντα Λοκρόν poetam v. 400 voluisse indicare non est, cur negemus. Incertior est v. 399 Aeschyli Atalante (cf. Nauck p. 7)[1]).

Quod vero ad Scyllam attinet v. 393 commemoratam[2]), nescio an ad Sophoclis fabulam redeat, quae Μίνως inscribebatur; cuius Clemens Alexandrinus Strom. VI p. 741 mentionem iniecit. Cf. Nauck p. 174 et 653. Prorsus vero obscura sunt verba, quae exstant v. 406: *Hylas Iliadesque puer.*

Sed quomodocumque se res illa habet, ante omnia id tenendum puto, e fabulis illo Tristium loco citatis cum permultas tum Hermionam v. 399 laudatam ad Sophoclem referantur necesse esse; quo quidem, ut iam dixi, eo magis probatur, eam poetae, et quidem nulli alii quam ipsi Ovidio, in heroide octava scribenda ad imitandum fuisse propositam.

Hoc igitur loco copiosius tractato, quia postea passim ad eum recurrendum sit, ut redeat oratio, unde aberravit, amorem, qui inter Orestem et Hermionem intercessit, ab Ovidio commemorari non videmus nisi Rem. am. 770 sq.:

'acrius Hermionen ideo dilexit Orestes,
esse quod alterius coeperat illa viri'.

Atque ut singula persequamur, de Pyrrhi nomine iam absolvimus, cum de Her. III 136 verba faceremus. Hic addere tantum volo ab Ovidio hoc Met. XIII 155. Trist. II 405. Ibid. 301, illud Neoptolemi nomen Met. XIII 455 usurpari, sicut in ipsa octava epistula utrumque promisce adhibetur atque alterum quidem v. 1. 7. 36. 42. 103, alterum v. 82. 115.

---

1) Erwinus Rohde l. l. p. 35 eam posteriori poetae adscribendam putat, sicut Hylan et Ganymeden v. 405 nominatos.

2) Hanc quoque posterioris aetatis esse Rohdius p. 36 coniecit.

Idem v. 7 et 55 recte Aeacides appellatur, cum Peleum, avum eius, Aeaci filium fuisse nemo nesciat, ita ut Ovidius suo iure nomen illud gentile et Peleo ipsi (Met. XI 227. 246. 250. 274. 389. 400) et Achilli, filio eius (Her. I 35. Art. am. I 17. Met. XII 96. Fast. V 390. ex Pont. II 341 et saepius) indiderit. Ceterum Pyrrhus eodem cognomine signatur apud Vergil. Aen. III 296. Similis est Aeacii appellatio, quam habes in v. 33.

Eum locum, quo Pyrrhus primum lucem intuitus esse dicitur, poeta significari voluit verbis '*scyria membra*', quae exstant v. 112. De eadem re Ovidius Art. am. I 682—704 verbosius loquitur.

Quod Hermione v. 13 Andromachen a Graecis victoribus vexatam esse narrat, hoc inprimis pertinere videtur ad Astyanactis pueri caedem, cuius Ovidius memor fuit Met. XIII 415 sqq.:

'*mittitur Astyanax illis de turribus, unde*
pugnantem pro se proavitaque regna tuentem
saepe videre patrem monstratum a matre solebat'.

Cf. etiam Ibid. 494. In eodem metamorphoseon libro v. 412 sqq. Troades in servitutem abductas esse hisce verbis refert poeta:

'*Dardanidas matres patriorum signa deorum*
dum licet, amplexas succensaque templa tenentes
invidiosa trahunt victores praemia Graeci'.

Bellum, quod Graeci ad Helenam recuperandam gesserunt, v. 19 breviter commemoratum Ovidius duodecimo et tertio decimo metamorphoseon libro fuse descripsit. Idem Menelaum laudat Art. am. III 253, quod coniugem raptam repetierit:

'*Helene, quam non stulte, Menelae, reposcis*'.

Navium quoque numerus, quarum Graecos mille ad Troiam habuisse v. 23 legimus, accurate congruit cum Met. XII 7 et XIII 182, cum apud Homerum mille centum octoginta sex computari constet.

Versu 45 loquitur poeta de Agamemnonis imperio:

'*Tantalides omnis ipsumque regebat Achillem*'

similiter Ovidius Rem. am. 468:

'*cuius in arbitrio Graecia tota fuit*'.

Tantalides etiam Met. XII 626. Am. II 8, 13. ex Pont. IV 16, 26. Fast. V 307 vocatur. Neque vero eum ab Iove originem duxisse, quod epistulae auctor v. 48 testatur, Ovidium ignorasse, ex innumerabilibus locis cognoscitur, quos omnes adferre longum est atque ieiunum.

Orestes, quia patris mortem ultus sit, versibus 49—54 non excusatur modo, sed etiam conlaudatur, cum Amor. I 7, 9:

'*et vindex in matre patris malus ultor Orestes*'

ob id ipsum vituperetur; huic loco autem respondet epistulae v. 55, ubi Pyrrhus eum hac laude voluisse fraudare narratur. Ceterum conferas etiam Trist. IV 4, 69:

'*dubium pius an sceleratus Orestes*'.

in primis cum versibus 49 sq.:

'*arma invidiosa tulisti:*
sed tu quid faceres? induit illa pater'.

Tantalidum fata, quae versibus 67—74 enumerantur, ab Ovidio crebro commemorantur. Atque Ledae fabula a Iove adamatae, quam v. 87 quoque poeta respexit, hisce locis obviam fit: Amor. I, 3, 22:

'*et quam fluminea lusit adulter ave*'.

10, 3 sq.:

'*qualis erat Lede, quam plumis abditus albis,*
callidus in falsa lusit adulter ave'.

Met. IV 109:

'*fecit olorinis Ledam recubare sub alis*'.

Hippodamiae fabulam habes Art. am. I 7 sq.:

'*Talis erat, qui te curru victore ferebat,*
vecta peregrinis Hippodamia rotis'.

Trist. II 385 sq.:

'*quid? non Tantalides agitante Cupidine currus*
pisaeam phrygiis vexit eburnus equis?'

Helenae a Theseo raptae mentionem facit Heroid. V 127 sq.:

'*illam de patria Theseus — nisi nomine fallor —*
nescio quis Theseus abstulit ante sua'.

Met. XV 232:

'*Tyndaris et secum, cur sit bis rapta, requirit*'.

Phoebe Hermionae soror v. 77 nominata apud Ovidium non occurrit. Quae cum ab Euripide Iphig. Aul. v. 50 commemoretur, eam ex Sophoclis Hermiona in hanc epistulam suspicor esse tralatam. Idem, ut iam animadvertimus, dicendum videtur de Hermiona Oresti desponsa (cf. v. 31 sqq.).

Restat, ut pauca subiungamus de morte Achillis, quem ab Apolline interfectum esse v. 83 traditur. Eandem rem Ovidius fusius tractat Met. XIII 580—606, ubi Paridis sagittas ab Apolline dirigi finxit, et breviter tantum attingit Met. XIII 501:

'*at postquam cecidit Paris Phoebique sagittis*'.

(scil. Achilles).

§ 3.

De nonae heroidis fonte pluribus disserere supervacuum est, cum Birtius, ut iam supra dictum est, quatenus auctor cum Sophocle conveniat, raris, quae inveniuntur discrepantiis adfatim explicatis perspicue videatur declarasse. Ovidium autem saepe ad fabulas sophocleas respectare e Tristium loco paullo ante explanato patefieri nemo, nisi qui naris est obesae, infitiabitur. Sed tamen ne minimus dubio relinquatur locus, addam versus nonnullos:

Ibidis versus 259 sq.:

'*nec plus aspicias quam quem sua filia rexit;*
expertus scelus est, cuius uterque parens'.

referendi videntur ad Oedipum coloneum, in qua fabula senem illum luminibus effossis ab Antigona in scenam videmus produci.

Met. II 286 sq., si Ovidius Tellurem facit lamentantem:

'*adunci vulnera aratri*
rastrorumque fero, totoque exerceor anno'.

meminisse eum verisimile est loci illius, qui legitur in Antigona sophoclea inde a versibus 388 sqq.:

θεῶν τε τὰν ὑπερτάταν Γᾶν
ἄφθιτον ἀκαμάταν ἀποτρύεται
ἱλλομένων ἀρότρων ἔτος εἰς ἔτος.

Luce autem clarius est Philocteten imitando ab Ovidio esse expressum, cum Met. XIII 313—335 scriberet, ubi Ulixes de dolis, quibus Philocteten deceperit, sese iactat. Atque si v. 315 Achivorum principes adstipulatos sibi esse ait, ut ille in Lemno insula exponeretur, suadenti, hoc respondet versui sexto tragoediae sophocleae, ubi idem:

ταχθεὶς, inquit, τόδ' ἔρδειν τῶν ἀναςςόντων ὕπο.

Versus 315 sq.:

'*nec me suasisse negabo,*
ut se subtraheret belli viaeque labori
temptaretque feros requie lenire dolores'

comparandi sunt cum Philoct. v. 271 sqq.; ubi narratur Graecos ancoras solvisse, cum Philoctetes somno deditus esset:

τότ' ἄςμενοί μ' ὡς εἶδον ἐκ πολλοῦ κάλου
εὕδοντ' ἐπ' ἀκτῆς ἐν κατηρεφεῖ πέτρῳ
λιπόντες ᾤχονθ'.

Versus 320:

'*quem quoniam vates delenda ad Pergama poscunt*'

maxime quadrat cum Philoct. v. 610, ubi dicitur de Heleno vate a Graecis capto:

ὃς δὴ τά τ' ἄλλ' αὐτοῖςι πάντ' ἐθέςπιςε
καὶ τἀπὶ Τροίᾳ Πέργαμ' ὡς οὐ μήποτε
πέρςοιεν, εἰ μὴ τόνδε πείςαντες λόγῳ
ἄγοιντο νήςου τῆςδ' ἐφ' ἧς ναίει τανῦν.

Cf. etiam v. 68 sq. et 113.

Quod vero v. 322 Ulixes Philocteten morbis iraque saevisse dicit, hoc locis sophocleis inlustrare supersedeo.

Etiam versus 328 sqq.:

'*sis licet infestus sociis regique mihique,*
dure Philoctete'.

conveniunt cum Philoct. 314 sqq.:

τοιαῦτ' Ἀτρεῖδαι μ' ἦτ' Ὀδυσσέως βία,
ὦ παῖ, δεδράκας'· οἵς Ὀλύμπιοι θεοί
δοῖέν ποτ' αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ παθεῖν.

Dirae autem, quas versibus 329 sqq. Philoctetes Ulixi imprimis imprecatur, frequenter occurrunt apud Sophoclem; cf. modo v. 405 sqq. 429 sqq. 991 sq. 1004 sqq. et id genus alia.

Addendum est verba, quae leguntur v. 313 '*vulcania Lemnos*', ad Philoct. v. 986 sq.:

ὦ Λημνία χθὼν καὶ τὸ παγκρατὲς σέλας
ἡφαιστότευκτον.

et illa, quae leguntur v. 323:

'*aut aliqua producet callidus arte*'

ad v. 14 σόφισμα et v. 101 δόλῳ videri pertinere.

Ovidium saepenumero fabulis uti ad Herculem spectantibus iam W. Zingerleius l. l. p. 13 recte observavit. Tamen si quis putat, totam causam ab illo abunde pertractatam esse, procul errat. Nobis vero rem conficere liceat. Atque Herculis et Iolae amor et mala, quae ex illo redundarunt, Met. IX 134—272 sat longa narratione explicantur. Idem amor commemoratur Art. am. I 155 sq.:

'*sic capta vidit ut urbe*
Alcides Iolen, "hanc ego," dixit, "amo".'

Oechaliae expugnatae (Her. IX 1) mentionem facit Met. IX 136. ex Pont. IV 8, 62.

Simili modo, quo v. 7 sq. 25 sq. 45 sq. inimicitiae gravissimae, quas Iuno et Eurystheus cum Hercule exercebant, Met. IX 167 sqq. 198 sqq. 203 sq. 273 sqq. indicantur. Cf. etiam Art. am. II 217 sq.

Versibus 14—16 si Deianira Herculem orbis terrarum adsertorem pacatoremque praedicat, hoc bene quadrat ad Met. IX v. 241:

'*timuere dii pro vindice terrae.*'

Versus 17 sq.:

'*Quod te laturum est, caelum prius ipse tulisti,*
Hercule supposito sidera fulsit Atlans.'

spectant ad Herculis consecrationem Met. IX 239 sqq. relatam. Idem caelum tulisse dicitur Met. IX 198:

'*hac caelum cervice tuli.*'

et Amor. II 217 sq.:

'*ille fatigatae perimendo monstra novercae*
qui meruit caelum, quod prior ipse tulit.'

Neque minus Ovidius reliquas quoque res ab Hercule gestas, quae in nona epistula enumerantur, identidem commemoravit; sicut (v. 21 sq. 85 sq.) angues in cunis elisos Art. am. I 187. Met. IX 67.

Ad versum 61, quo significatur leo nemeaeus cf. Met. IX 197:

'*his elisa iacet moles nemeaea lacertis*'

ad v. 67 et 89 sq., quibus agitur de morte Diomedis cf. Ibid. 379 sq.:

'*ut qui threicii quondam praesepia regis*
fecerunt dapibus sanguinolenta suis.'

399 sqq.:

'*ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis*
impius humano viscere pavit equos.'

Met. IX 194 sqq.

Busiridis sicut v. 69 sq. mentio fit Met. IX 183:

'*ergo ego foedantem peregrino templa cruore*
Busirin domui?'

Ibid. 397 sq.:

'*frater ut Antaei quo sanguine debuit, aras*
tinxit, et exemplis occidit ipse suis.'

Antaeus devictus sicut v. 71 sq. commemoratur Met. IX 183 sq.:

'*saevoque alimenta parentis*
Antaeo eripui'

et Ibid. 393:

'*ut quos Antaei fortes pressere lacerti.*'

Ad versus 87 sq.:

'*ut tegeaeus aper cupressifero Erymantho*
incubat, et vasto pondere laedit humum.'

cf. Met. IX 191 sq.:

'*nec mihi Centauri potuere resistere, nec mi*
Arcadiae vastator aper?'

Si versibus 91—94 Geryones superatus cum Cerbero ab inferis repetito coniungitur, idem fieri videmus Trist. IV 7, 16 et Met. IX 184. Cerberi etiam mentio inicitur Met. VII 410—415.

Ad versum 99 sq.:

'*et male confisum pedibus formaque bimembri*
pulsum thessalicis agmen equestre iugis.'

cf. Met. IX 188 sq.:

'*vestra virtute relatus*
thermodontiaco caelatus balteus auro.'

Hydram in Lerna palude oppressam sicut v. 115 habes Met. IX 69 et 192.

Herculis amores, qui versibus 49—52 enumerantur, apud Ovidium obviam non fiunt. Is tantum de Omphalae amore v. 53 sqq. descripto Fast. II 309 sqq. loquitur, ubi vestis mutatio in epistula maxime vituperata non minoris est momenti.

Quomodo Hercules Acheloum superarit Met. IX 1 sqq. fuse narratur, imprimis autem v. 97:

'*et lacerum cornu mediis caput abdidit undis*'

comparandus est cum heroidis versu 140:

'*truncaque limosa tempora mersit aqua.*'

Eadem fabella tangitur Amor. III 6, 35 sq.:

'*cornua si tua nunc ubi sint, Acheloe requiram*
Herculis irata fracta querere manu.'

Nessi mors v. 141 sq. et 161 significata copiose describitur Met. IX 104 sqq. cf. etiam Ibid. 402, 489 sq.

Quae vero Deianira in fine epistulae de Hercule pereunte sese audisse ait, prorsus conveniunt cum iis, quae metamorphoseon libro nono traduntur.

Restat, ut pauca subiungamus de Oenidarum fatis v. 151 sqq. commemoratis.[1]) Atque Melagrum Deianirae

1) Inspiciatur de hac re Surberi quoque libellus, qui Turici prodiit a. 1880: Die Meleagersage, eine historisch-vergleichende Unter-

fratrem fuisse etiam Ovidius testatur Met. IX 149; nec minus ei nota est Gorgo soror, quae v. 165 nominatur. cf. Met. IX 542. Quod vero v. 156 legitur:

'*alter fatali vivus in igne fuit*'

hoc optime inlustratur Met. VIII v. 445—524, ubi Meleagrum intestinis flammis consumptum esse comperimus. Eodem spectat versus Ibidis 599:

'*natus ut Althaeae flammis absentibus arsit.*'

Althaeam autem, matrem Meleagri sibi ipsi manum intulisse ut v. 157 ita Met. VIII 530 sq. quoque narratur:

'*nam de matre manus diri sibi conscia facti*
exegit poenas, acto per viscera ferro.'

Ad Tydei exsilium v. 155 commemoratum pertinent Fast. I 491 et ex Pont. I 3, 79.

Quibus omnibus pensitatis fabulas in nona epistula tractatas Ovidio paene familiares fuisse est concedendum minimeque iis ansam dari ad totum carmen praescripto auctori eripiendum atque auferendum.

Neque vero Lehrsium ex hac ipsa re argumentum petiturum fuisse arbitror, quo nonam heroidem suppositam esse demonstraret, si rationem ab Ovidio in fabellis perscribendis adhibitam cognovisset.

§ 4.

Etiam duodecimae heroidis fontem Birtius l. l. p. 401 sqq. nobis aperuit, cum a poeta non solum lectam Euripidis tragoediam, quae Medea inscribitur, sed etiam eo usque amatam esse probaret, ut adderet non ita multa, immutaret pauciora. Perlucet igitur prorsus eadem ratio, quam Ovidium in Graecorum poematis exprimendis solitum esse tenere, saepius iam observavimus.

Ovidium autem ipsum haud raro fabulas euripideas non solum evolvisse verum etiam imitatum esse cum e Tristium loco supra tractato colligere licet, tum a nonnullis viris doctis ita est demonstratum, ut de ea re dubitari iam ne-

suchung zur Bestimmung der Quellen von Ovidi met. VIII 270—546 p. 69.

queat. Atque iam Birtius[1]) quartam epistulam ex utroque Hippolyto fluxisse sat evidenter ostendit, Augusto Kalkmanno[2]) in maximis rebus consentiente. Etiam in Phaethontis fabula enarranda Ovidium Met. I 748 — II 408 Euripidis vestigia secutum esse docuerunt nos Adolphus Bangert[3]) et Georgius Knaack in 'Quaestionibus Phaethonteis' p. 22 sqq. p. 55 not. 58.[4])

Quae cum ita sint, ne tempus teratur, ad eos locos nos convertamus, quibus ab Ovidio fabulae ad Medeam pertinentes tanguntur. Quibus quantopere sit delectatus, vel ex eo potest cognosci, quod non solum Met. VII 1—351 Iasonis et Medeae amorem uberrime descripsit, sed etiam tragoediam de eadem re composuit a Quintiliano, optimo illo litterarum arbitro, Inst. orat. X 1, 98 eximia laude ornatam. Multae quoque res, quae in duodecima heroide narrantur, in sexta epistula ab Hypsipyle ad Iasonem data occurrunt. Quod minime mirum videtur, si similes repetitiones in epistulis II, IV, X et iisdem quidem indubitatis, quibus omnibus fabulae ad Theseum spectantes tractentur, inveniri consideramus, ita ut liquido appareat, Ovidium easdem res plus una heroide inlustrare non esse veritum.

In ceteris autem carminibus ovidianis permulti exstant loci, quibus rerum, quae duodecima heroide continentur, mentio inicitur. Atque laudatis Art. am. II 101—104. 381 sq. III 33 sq. Trist. III 8, 3 sq., ubi indicatur infelix Medeae amor, iam ad singula transeo.

Versus 1 sq.:

'*at tibi Colchorum, memini, regina vacavi,*
ars mea cum peteres, ut tibi ferret opem'

comparandi sunt cum versibus ex Pont. 119 sq.:

'*non impia Procne*
filiave Aeetae voce movenda tua est'.

---

1) L. l. p. 403 sqq.

2) In dissertatione bonnensi a. 1881, qua continentur '*De Hippolytis euripideis quaestiones novae*' p. 24.

3) In dissertatione halensi a. 1885, quae est '*De fabula phaethontea*' p. 22 sqq.

4) Expressae sunt in libello, qui inscribitur '*Philologische Unter-*

Iasonem Medeae auxilium implorasse versibus 67—92 aeque copiose narratur ac Met. VIII 74—99.

V. 11. 12:

'*cur mihi plus aequo flavi placuere capilli*
et decor et linguae gratia ficta tuae.'

similiter Iaso laudatur Met. VII 26—28:

'*quem, nisi crudelem, non tangat Iasonis aetas*
et genus et virtus? quem non, ut cetera desint,
ore movere potest?'

cf. etiam v. 43 sq.

Plurima autem mentio fit laborum, quos Iasonem in Colchorum finibus sustinuisse notum est. Conferantur inter se v. 15. 39—44. 93 sq. 163—166. Her. VI 10. 32. Met. VII 104—119 (agitur de tauris ignem naribus efflantibus) v. 17. 45—48. 95—100. Her. VI 11 sq. 33 sq. Met. VII 121—142 (agitur de dentium viperinorum satu) v. 101—108. 163. Her. VI 13 sq. 37. Met. VII 149—158 (agitur de dracone, a quo vellus aureum custodiebatur, sopito).

Quae versibus 29—56 Medea de Argonautarum adventu refert, breviter attinguntur Met. VII 7—9:

'*dumque adeunt regem, phrixeaque vellera poscunt,*
voxque datur numeris magnorum horrenda laborum,
concipit interea validos Aeetias ignes.'

Quod contra versus 61 sententia:

'*hinc amor, hinc timor est. ipsum timor auget amorem.*'

amplificatur Met. VII 10—73.

Medeae sororem item ab Iasonis partibus stetisse ut v. 65, sic Met. VII 54 comperimus.

Versibus 113—116 memorat Medea de Absyrti fratris exitu, cuius membra in fuga in iis locis, qua se parens persequeretur, ab illa dissipata esse constat. Quod scelus nefarium latius exponitur Trist. III 9. Cf. etiam Ibid. 433 sq.:

'*et tua sic latos spargentur membra per agros*
tamquam quae patrias detinuere vias.'

Symplegadum, sicut v. 121—126 mentio fit Met. VII

---

suchungen' herausgegeben von A. Kiefsling und U. v. Wilamowitz-Moellendorf. Heft VIII. Berolini 1886.

62—65, etiam hic una cum Scylla et Charybdi, et Met. XV 337—339. Ibid. 263 sq.

V. 129. 130:

'*quid referam Peliae natas pietate nocentes*
caesaque virginea membra paterna manu.'

idem refertur Met. VII 297—349. Cf. Ibid. 439:

'*dumque redire voles aevi melioris in annos*
ut vetus Admeti[1]) *decipiare socer.*'

Creontis et Creusae nomina Ovidius non commemoravit in septimo metamorphoseon libro. Miserae autem eorum sortis mentionem iniecit v. 394 sq.:

'*sed postquam Colchis arsit nova nupta venenis*
flagrantemque domum regis mare vidit utrumque.'

porro Art. am. 335 sq.:

'*cui non defleta est ephyreae flamma Creusae*
et nece natorum sanguinolenta parens.'

et Ibid. 601:

'*ut nova phasiaca comprensa est nupta corona*
utque pater nuptae cumque parente domus.'

§ 5.

Tertiae decimae heroidis auctorem Euripidis Protesilaum adiisse, quod primus Welcker Gr. Trag. p. 495 sqq. coniecit, ex iis, quae de aliis epistulis exposuimus, per se veri non videtur absimile. Sed cum perpaucis illius fabulae fragmentis nulla adminicula ad iudicandum dentur, rem in incerto esse patet. Quare iam illos locos addamus, quibus Ovidius Protesilai et Laodamiae amorem commemoravit. Sunt autem hi: Amor. II 18, 38 (vide supra):

'*et comes exstincto Laodamia viro.*'[2])

Maxime notabiles sunt versus Art. am. II 353—356:

'*Phyllida Demophoon praesens moderatius ussit,*
exarsit velis acrius illa datis.

1) Cf. Hom. B 714 sq.

2) Idem versus recurrit Trist. I 6, 20.

Penelopen absens solers torquebat Ulixes,
Phylacides aberat, Laodamia tuus.'

Neque enim casu factum videtur, quod hoc loco heroinae laudentur, quarum nomine epistulae inscribuntur in heroidum corpusculo nobis traditae.

Accedunt hi loci: Met. XII 67:

'*et hectorea primus fataliter hasta*
Protesilae cadis.'

Trist. V 5, 57 sq.:

'*effice, ut iliacas tangat prior alter arenas,*
Laodamia nihil cur referatur erit.'

V 14, 39 sq.:

(Cernis) '*ut vivat fama coniunx phylaceia, cuius*
iliacam celeri vir pede pressit humum?'[1])

ex Pont. III 1, 109:

'*si comes extincti manes sequerere mariti*
esset dux facti Laodamia tui.'

Denique cum versibus 151—158; ubi Laodamia de cerea Protesilai imagine a se culta narrat, comparentur Rem. v. 723 sq.:

'*si potes, et ceras remove. quid imagine muta*
carperis? hoc periit Laodamia modo.'

Videmus igitur hanc quoque fabulam ab Ovidio persaepe in usum vocatam esse.

§ 6.

Quae in quarta decima epistula narrantur ex Aeschyli fabulis ab auctore deprompta esse Birtius l. l. p. 409 voluit efficere. Sed de hac quoque epistula certius iudicium quam de tertia decima ferri non posse est concedendum.[2])

Ovidium autem, etsi Hypermestram et Lynceúm non

---

1) Ad quae conferas heroidis vv. 93 sq.

'*sors quoque nescio quem fato designat iniquo,*
qui primus Danaum troada tangat humum'.

2) Cf. etiam programma dusseldorpianum, quod '*de Aeschyli Danaidibus*' scripsit Iosephus Martinus Reinkens a. 1886 p. 11.

commemoret, tamen Danaidum fabulam cognovisse hi quidem loci testificantur: Art. am. I 71 sq.:

'*quaeque parare necem miseris patruelibus ausae*
Belides, et stricto stat ferus ense pater.'

Cf. Trist. III 1, 62.

Met. IV 462 sq.:

'*molirique suis letum patruelibus ausae*
assiduae repetunt, quas perdant, Belides undas.'

X 44:

'*urnisque vacarunt*
Belides.'

Ibid. 175 sq.:

'*quaeque gerunt humeris perituras Belides undas*
exulis Aegypti, turba cruenta nurus.' [1])

353 sq.:

'*quae parare suis letum patruelibus ausae*
Belides assidua colla premuntur aqua.'

Etiam Ius fabula, quam huic carmini insertam esse iam supra diximus, ab Ovidio praeter amplam narrationem, quae est Met. I 567—666 plus uno loco significatur. Cf. Amor. I 3, 21. II 2, 45. 19, 29. Art. am. I 323.

Priusquam ulterius progrediar, ut omnia, quae in hac dissertationis particula disputavi, in brevem summam conferam, id iam apparere confido, sex illas heroides, quas in disquisitionem vocavi, non ex aliis fontibus esse derivatas, quam quibus ipse Ovidius hortulos suos inrigare solitus sit; neque vero in iis res inesse a poetae sulmonensis ingenio et moribus longissime disiunctas, sed fabulas maxime illi usitatas ac paene tritas. Exemplaria autem graeca in heroidibus componendis a Nasone non minus sedulo videntur versata esse, quam, ut notum exemplum adferam, in carminibus bucolicis pangendis Theocriti idyllia a Marone.[2])

---

1) Cf. ex Pont. III 1, 121: '*nurus Aegypti*'.

2) Cf. G. A. Gebauer: De poetarum graecorum bucolicorum inprimis Theocriti carminibus in eclogis a Vergilio adumbratis particula

VI.

§ 1.

Iam cum de grammaticis quibusdam rebus scribere paratus essem, non invito mihi contigit, ut programma acciperem nuper a Draegero Aurici emissum,[1]) quo de vocabulis ab Ovidio inventis presse strictimque verba fecit. Duos autem libellos de eadem re a Ludovico Scheibe et I. Favre conscriptos eum omnino non vidisse valde dolendum est.[2]) Ea enim re factum est, ut scrupulus in legentium animis resideat de iis vocabulis, quae Favero teste ab Ovidio novata in Draegeri glossario desiderentur. Quorum numerum, ne quis putet parvum esse, hic exempli gratia ea tantum commemorare liceat, quae a littera *a* incipiunt. Frustra igitur apud Draegerum requiras haecce:

Actorides Met. V 79.
adamanteus VII 104.
adclivus II 19.
adfundere VIII 539.
aesareus XV 54.
aesculeus I 449.
agenoreus III 308.
agitabilis I 75.
albidus III 74.
apollineus I 473.
aquaticus II 853. IX 341. X 96.

Accedunt nomina propria e carminibus graecis, ut videtur, ab Ovidio adsumpta: Agre, Alastor, Alcithoe, Alcmene,

---

prima. Lipsiae 1856 et Ernst Buettner: Über das Verhältnis von Vergils Eklogen zu Theokrits Idyllen. Insterburg 1873.

1) Inscribitur '*Ovid als Sprachbildner*'.

2) Quorum alter iam anno 1880 Halberstadi prodiit inscriptus: '*De sermonis Ovidiani proprietatibus, quales in Metamorphoseon libris perspiciuntur*'; alter, qui est '*de Ovidio novatore vocabulorum in Metamorphoseon libris*' Parisiis publici iuris factus est anno 1886. Atque ne francogallus quidem ille grammaticus Scheibi Germani opusculum et ipsius Draegeri syntaxin latinam historicam in suum usum convertere dedignatus est. Cf. p. 1 sq.

Alcyone, Alexirrhoe, Anaxarete, Antigone, Areos, Arne, Asterie, Autonoe.

Quae cum ita sint, vereor, ne etiam ex heroidibus non omnia vocabula huc pertinentia a Draegero perscripta sint. Sed ea, quae attulit, ad id, quod nos volumus, demonstrandum sufficiunt, auctorem heroidum III. VIII. IX. XII–XIV etiam vocabulorum inventione non differre ab ipso Ovidio.

Atque ut inde exordiar, eorum vocabulorum, quae latinitatis sunt ἅπαξ εἰρημένα, haec tria Draeger adnotavit:

medicatus XII 165.

bicorniger XIII 33.

Dysparis XIII 43.

Substantiva autem in -tus desinentia, ut '*medicatus*', et adiectiva in -ger exeuntia, ut '*bicorniger*', ab Ovidio permulta ficta esse iam Scheibe l. l. p. 3 et Favre l. l. p. 89 sq. demonstrarunt. Item sunt ἅπαξ εἰρημένα:

electus Her. II 144.

erratus Met. IV 567.

praemonitus Met. XV 800.

suspiratus Met. XIV 129.

penatiger Met. XV 450.

Vocem autem '*Dysparis*' ex Homeri versu I 39:

Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε, γυναιμανές, ἠπεροπευτά

pro tradita lectione '*Dux Pari*' in textum esse recipiendum constat inter viros doctos. Sed facile fieri potuit, ut poeta, cum versum illum scriberet:

'*Dyspari, Priamide, damno formose tuorum*'

non homericum versum exprimeret, sed euripideum, in quo vox illa homerica inesset.[1]) Ovidium ipsum nomina propria a Graecis frequenter repetisse iam vidimus.

Sequitur, ut ea vocabula enumeremus, quae in sex illis heroidibus primum, nec tamen alias apud Ovidium, sed apud posteriores demum scriptores occurrant. Sunt autem hi:

extimescere[2]) cum infinitivo coniunctum XII 117.

---

1) Cf. ea quae supra de heroidum fontibus disputavi.

2) Ab Ovidio multa verba primum cum infinitivo copulata esse Draeger l. l. p. 8 sq. compluribus exemplis comprobavit.

mandata dare[1]) cum infinitivo coniunctum XIII 143.

inadustus XII 93. Talia adiectiva verbalia ex participio cum praepositione qualibet et syllaba negativa '*in*' saepenumero ab Ovidio composita esse docuerunt nos iam Scheibius l. l. p. 5 et Favre l. l. p. 80 sqq. Cf. modo '*inattenuatus*' Met. VIII 844, quod adiectivum nusquam alias reperiri Draeger p. 8 testatur.

praemedicatus XII 15. Cf. Favre l. l. p. 112 sqq. Eodem modo haec vocabula ab Ovidio novata sunt: praecompositus Fast. VI 674 (ἅπ. εἰρ.). praeconsumere Met. VII 489. Trist. IV 6, 30. praecontrectare Met. VI 478 et alia id genus.

prosocer III 74[1]): similiter formatum est adiectivum '*proavitus*' Met. XIII 416.

Neque vero desunt voces in heroidibus ab Ovidio inventae, quae in iis quoque carminibus, de quibus non ambigitur, obviam fiant:

flumineus[2]) VIII 67. Amor. I 3, 22. Met. II 253. XIV 599.

revocamen XIII 135. Met. II 596. Fast. I 561. Draeger illud apud unum Ovidium exstare dixit l. l. p. 14.

nubifer III 58. Met. II 226.

qualiter IX 128. Amor. I 5, 11. 7, 58.

succiduus XIII 24. Met. X 458.

torqueor, ne IX 36. Amor. II 5, 53.

Denique locutionem '*est aliquid*' (III 131) ab Ovidio primum cum infinitivo coniunctam eadem significatione, qua nostrum: '*es will etwas sagen*' frequenter apud eum occurrere cum Draeger p. 6 tum Eschenburgius in programmate supra laudato anni 1886 p. 6 demonstravit.

Adiciantur vocabula nonnulla a nobis ipsis conlecta, quae quamquam a Draegero omittuntur, tamen in sex illis heroidibus primum videntur legi:

achaeiades[3]) III 71.

---

1) Quid sibi velit locus X 90 a Draegero huic vocabulo adscriptus, plane ignoro.

2) Hoc adiectivum abest a Faveri libello.

3) De hac forma iam supra absolvimus.

Achillides VIII 3. Ibid. 399.
Aetolis IX 131.
Agrios IX 153.
Auge IX 49.
Amyntor III 27.
cupressifer IX 87. Fast. V 87.
Eurybates III 9 (bis).
Eurytis[1]) IX 133. Met. IX 395.
Haemonis XIII 2.
Hyllus IX 44. 168. Met. IX 279.
Iardanis IX 103.
insopor[2]) XII 101.
ioniacus IX 73. Art. Am. II 219.
Lesbides III 36. (Am. II 18, 26. Fast. II 82).
magnetis XII 9.
mopsopius VIII 72. Met. V 661. VI 423.
nesseus IX 163. Met. IX 153. XII 454. Ibid. 489.
Oenides[3]) III 92. Met. VIII 414. XIV 512. Her. IV 99. Fast. IV 76.
Ormenis IX 50.
pelasgiades IX 3.
pelopeius VIII 27. 81. Met. VIII 622. Trist. IV 4, 67.
perenne adverbialiter dictum VIII 64. Fast. III 654.
phasiacus XII 10. Ibid. 601. Fast. II 439.
phylaceides XIII 33.
repetitor[4]) VIII 21.
stheneleius IX 15. Met. II 367. IX 272.
Symplegades XII 21. Met. XV 338. Trist. I 10, 47.
tenaciter III 43. IX 21.
teuthrantia IX 51. Trist. II 19.

---

1) Deest etiam apud Faverum p. 46 sq.

2) Plane eodem modo Ovidius adiectivum '*infrons*' formavit ex Pont. II 10, 31, quod Draeger nullo alio loco reperiri dixit.

3) Deest hoc nomen proprium apud Faverum.

4) Substantiva in -tor cadentia ab Ovidio praecipuo quodam amore efficta esse iam Scheibe l. l. p. 4 et Favre l. l. p. 13 sqq. animadverterunt.

§ 2.

Notum est id Ovidi maxime fuisse proprium, ut suos ipsius versus vel versuum particulas identidem in usum vocaret. Quod idem in heroidibus suspectis fieri, quamquam Wolframus Zingerleius in libello iam commemorato fuse prae aliis edocuit, tamen ut earum epistularum ratio etiam manifestior fiat, levioribus omnibus rebus neglectis non pigebit, hic ea, quae diversis illius opusculi locis dispersa atque dissipata leguntur, congesta et in certum ordinem redacta breviter repetere.

Atque illa artis ovidianae proprietas hisce locis perspicitur:

III 4: '*sed tamen et lacrimae pondera vocis habent*'
ex Pont. III 1, 158:
'*interdum lacrimae pondera vocis habent*'.

---

14. '*ei mihi, discedens oscula nulla dedi*'.
Trist. I 3, 58:
'*et quasi discendens oscula summa dedi*'.

---

75. '*nos humiles famulaeque tuae data pensa trahemus*'
Fast. II 743:
'*lumen ad exiguum famulae data pensa trahebant*'.

III 117: '*tutius est iacuisse toro, tenuisse puellam*
118: *threiciam digitis increpuisse lyram*'
Am. II 11, 31 sqq:
'*tutius est fovisse torum legisse libellos*
threiciam digitis increpuisse lyram'.

VIII 11: '*quid gravius capta Lacedaemone serva tulissem*'
Fast. IV 593:
'*quid gravius victore Gye captiva tulissem*'.

16: '*inice non timidas in tua iura manus*'
Amor. II 5, 30:
'*iniciam dominas in mea iura manus*'.

70: 'vecta peregrinis Hippodamia rotis'
Art. am. II 8:
'vecta peregrinis Hippodamia rotis'.

76: 'omnia solliciti plena timoris erant'
Her. I 12:
'res est solliciti plena timoris amor'.

121: 'aut ego praemoriar primoque exstinguar in aevo'
Met. III 470 sq.:
'nec tempora vitae
longa meae superant, primoque extinguor in aevo'.

IX 21: 'tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues,
22: cum tener in cunis iam Iove dignus eras?'
Art. am. I 187 sq.:
'parvus erat manibusque duos Tirynthius angues
pressit et in cunis iam Iove dignus erat'.
Fast. IV 512:
'et tener in cunis filius aeger erat'.

42: 'speque timor dubia, spesque timore cadit'
ex Pont. I 2, 64:
'spesque levis magno victa timore cadit'.

55: 'Maeandros, terris totiens errator in isdem'
Met. IX 451:
'filia Maeandri totiens redeuntis eodem'.

68: 'efferus humana qui dape pavit equas'
Ibid. 400:
'impius humano viscere pavit equos'.

73: 'inter ioniacas calathum tenuisse puellas'
Art. am. II 219:
'inter ioniacas calathum tenuisse puellas'.

IX 77: 'crassaque robusto deducis pollice fila'
Met. IV 136:
'e quibus una levi deducens pollice filum'.

108: 'quam quos vicisti, vincere maius erat
109: illi procedit rerum mensura tuarum'
Fast. I 603 sq.:
'magne, tuum nomen rerum est mensura tuarum;
sed qui te vicit, nomine maior erat'.

136: 'et iacet in gremio languida facta manus'
Her. XI 4:
'et iacet in gremio charta soluta meo'.
Fast. III 20:
'et cadit a mente languida facta manus'.

XII 35: 'et formosus eras et me mea fata trahebant
Trist. II 341: sed me mea fata trahebant.
Her. VI 51: sed me mala fata trahebant[1]).

85: 'spiritus ante meus tenues vanescat in auras
Her. I 76:
'fallar et hoc crimen tenues vanescat in auras'.

128: 'ponitur ad patrios aurea lana deos'
Her. I 26:
'ponitur ad patrios barbara praeda deos'.

158: 'clamarem "meus est" iniceremque manus'
Amor. I 4, 40:
'et dicam "mea sunt" iniciamque manum'.
201: 'aureus ille aries villo spectabilis aureo'
Her. VI 49:
'non erat hic aries villo spectabilis aureo'.

---

1) Addi potest Met. VII 817: 'sic me mea fata trahebant'.

XIII 13: 'linguaque mandantis verba imperfecta reliquit'
Met. I 526:
'fugit cumque ipso verba imperfecta reliquit'.
Trist. I 3, 69:
'nec mora sermonis verba imperfecta relinquo'.

29: 'ut rediit animus, pariter rediere dolores'
Met. IX 583:
'mens tamen ut rediit, pariter rediere furores'.

31: 'nec mihi pectendos cura est praebere capillos'
Art. am. III 235:
'at non pectendos coram praebere capillos'.
Met. XIII 738:
'cui dum pectendos praebet Galatea capillos'.

166: 'sit tibi cura mei, sit tibi cura tui'
Ex Pont. II 7, 4:
'sit tibi cura mei'.
Trist. V 2, 34:
'si tibi cura mei'.

XIV 39: 'ut leni zephyro graciles vibrantur aristae,
40: frigida populeas ut quatit aura comas'
Amor. I 7, 54 sq.:
'ut cum populeas ventilat aura comas,
ut leni zephyro gracilis vibratur arundo'.

86: 'quo bos ex homine est, ex bove facta dea'
Fast. V 620:
'quae bos ex homine est, ex bove facta dea'.

91: 'conatoque queri mugitus edidit ore'
Met. I 636:
'conatoque queri mugitus edidit ore'.

103: 'quae tibi causa fugae? quid iam freta longa pererras?'

Rem. am. 281:

'quae tibi causa fugae? non hic nova Troia resurgit'.

Adde hosce versus a Zingerleio omissos:

III 44: 'nec venit inceptis mollior hora meis'

Ex Pont. III 3, 84:

'et veniet votis mollior hora tuis'.

80: 'et leviter dicas "haec quoque nostra fuit"'

Art. am. II 268:

'cuilibet ut dicas "haec quoque nostra fuit".'

VIII 53: 'hanc tamen implesti' . . . . .

Art. am. I 325:

'hanc tamen implevit' . . . . .

IX 29: 'quam male inaequales veniunt ad aratra iuvenci'

Art. am. I 471:

'tempore difficiles veniunt ad aratra iuvenci'.

121: 'ante meos oculos adducitur advena paelex'

Fast. III 483[1]):

'ante oculos adducta pelices nostros'.

167: 'et tu lux oculis hodierna novissima nostris'

Met. I 772:

'sitque oculis lux ista novissima nostris'.

XIII 32: 'nec libet aurata corpora veste tegi'

Med. fac. 18:

'vultis inaurata corpora veste tegi'.

§ 3.

Proximum est, ut nonnulla de elocutione heroidum in medium proferamus. Atque pauca quaedam, quae cum in

---

1) Hunc locum iam Loersius contulit.

indubitatis Ovidi carminibus usitatissima sint, etiam in dubiis epistulis reperiantur, Eschenburgius in altero programmate lubeckano, quod anno 1886 diximus prodiisse, legentium iudicio permisit. Is, ut summam eius quaestionis proponam, primum haec vocabula versus initio ab Ovidio frequentissime posita etiam in sex illis heroidibus haud raro eodem loco occurrere sescentis comprobavit exemplis:

ei mihi Her. III 14. IX 145. XII 7 l. l. p. 2. 3.
i nunc III 26. IX 105. XII 204[1]) p. 3.
di melius III 125 p. 3.
crede mihi XIII 155 p. 4.
di faciant XIII 96 p. 5.
est aliquid III 131 p. 6.

Deinde illud gravissimum videtur, quod adiectiva in -bilis et nominativa superlativa in -issimus, -errimus, -illimus desinentia, quibus Ovidius in quinto hexametri pede uti solet, etiam in heroidibus eodem modo adhiberi p. 13—18 demonstravit, cum a Catullo, Tibullo, Lygdamo, Propertio hanc rationem minime videamus appeti.

Item satis raro apud Catullum, Tibullum, Propertium gerundii et gerundivi, quod vocant, formae in -andus, -endus exeuntia in sexto hexametri pede exstant, apud Ovidium multifariam, sicut etiam Her. XII 59. 123. 149. XIV 61. Cf. Eschenburg. l. l. p. 18—20.

Quod ad pentametrum attinet, has duas res, quae Ovidi sunt propriae, etiam in carminibus suspectis deprehendimus: altera proprietas ea est, ut infinitivus perfecti quinque syllabarum mensuram complens posteriore pentametri parte conlocetur III 110. 118. 120. 132. VIII 66. IX 2. 6. 60. 66. 72. 74. 76. 86. XII 4. 164. 186. 210. XIII 24. 46. Cf. l. l. p. 29 sq., altera, ut futurum passivi, eundem syllabarum numerum complexum, eodem loco ponatur IX 4. 84. 124. XII 116. Cf. Eschenburg. l. l. p. 31—33.

Addam permulta de meo insuper.

Atque in tertia heroide haec maxime videntur observanda:

---

1) Typographi errore numerus 104 legitur.

v. 1. littera eadem significatione qua '*litterae, epistula*' frequentatum est Ovidio vocabulum. Cf. Her. V 2. VI 9. Amor. II 18, 33. Art. am. I 451. Trist. III 1, 15. IV 7, 23 ex Pont. I 9, 4. IV 11, 15. Met. IX 516.

v. 2. notare de scribentis negotio adhibetur Amor. I 4, 20 '*verba digitis, verba notata mero*'[1]). ex Pont. IV 3, 26 '*verbis charta notata tribus*'[1]). Her. V 22 '*et legor Oenone falce notata tua.*'

vix bene frequenter occurrit in metamorphoseon libris et quidem semper in initio versus, velut II 47. III 14. VII 774. IX 260. XIII 944. XIV 753. XV 669.

v. 3. litura cf. Trist. I 1, 13. III 1, 15; locutio lituram facere paullo aliter adhibetur ex Pont. II 4, 18. IV 1, 14. 12, 26.

v. 4. pondera habere: ex Pont. III 1, 158. 9, 50. pondus habere: Her. II 30. Art. am. III 806. Trist. I 6, 18. Fast. I 182. Met. I 20. IX 496 et saepius.

v. 5. dominoque viroque cf. Her. IV 35 fratremque virumque.

v. 13. differri de homine dicitur etiam Met. XII 76. poenae mora: Met. VI 215.

v. 14. rumpere capillos: Her. V 141. Met. X 722.

v. 22. lentus saepe maritus vocatur vel amasius, sicut Her. I 1. 66. II 23. VI 17.

v. 25. Verba '*non repetisse parum*' excipiunt illa, quae leguntur v. 22 '*nec repetor*'. Similis locus exstat Fast. II 414 sq.:

'*quis credat pueris non nocuisse feram?*
non nocuisse parum est[2]).'

v. 26. Locutionem nomen habere fere singulis paginis Ovidius usurpat. cf. modo Amor. II 17, 28. III 6, 91. Art.

1) His locis factum videtur, ut Her. I 62:

'*traditur huic digitis charta novata meis*'

lectio '*notata*' in libros mss. inrepserit, uno codice guelferbytano '*novata*' a manu prima scriptum exhibente.

2) Utrumque locum si comparaveris dubium esse nequit, quin Merkelius iure spreta parisini auctoritate una cum ceteris codicibus '*non repetisse*' scripserit, cum falsa illa lectio '*nec*' librarii socordia e v. 22 ingesta videatur.

am. II 16. 96. III 219. 536. Met. I 169. IV 384. V 581. VI 400. XII 2. XV 740. Trist. III 14, 22. IV 3, 18. Ibid. 62. 641. Fast. I 608. II 30. 428. III 203. 246. 412. IV 36. 80. 196. V 225. VI 26. 748. ex Pont. II 6, 30. III 296. IV 13, 22. 14, 2. 16, 12.

v. 30. blandae preces cf. Art. am. I 710. Met. X 642.

v. 31. operosus = operae plenus Met. I 258. XV 666.

v. 36. corpora capta: Trist. IV 2, 36; similiter Art. am. II 586 '*captiva corpora*'.

v. 41. vilis in re amatoria cf. De Vries: Epistula Sapphus ad Phaonem apparatu critico instructa, commentario illustrata et Ovidio vindicata Lugduni. Batav. 1885 p. 44.

v. 45. marte tuo: Met. III 122 '*marte suo*'.

v. 47. consors saepenumero ab Ovidio de propinquis, inprimis de consanguineis dictum, velut ex Pont. III 2, 48. Met. VIII 444. XI 347. XIII 663.

v. 49. quantus erat: Met. IV 657.

v. 51. tot tamen amissis: similiter '*postque tot amissos*' Met. XIII 514. Fast. II 621.

v. 58. lintea dare: Amor. III 11, 51. Met. III 640. VII 20.

v. 59. contingere aures: Met. I 211. XV 497.

v. 63: '*devorer ante, precor, subito telluris hiatu*'. Similiter poeta loquitur Her. VI 144:

'*hiscere nempe tibi terra roganda fuit*'.

Trist. V 2, 73:

'*vel me zanclaea Charybdis devoret*'.

v. 64. rutilus saepenumero ignis vel flamma nominatur, velut Fast. III 285. Met. IV 403. XII 294.

v. 65. canescant aequora remis cf. Her. V 54: '*et remis eruta canet aqua*'.

v. 70. lanam mollire: Met. II 411.

v. 71. matres pro 'feminae nobiles, matronae, puellae' valde in usu est apud Ovidium. Cf. Met. VII 159. VIII 527. IX 304. XI 69. XIII 412. Fast. II 44. III 230, alios locos innumerabiles.

v. 79. scindere capillos: Trist. III 3, 51. Met. IV 546. VIII 526.

v. 82. vae! miserae eodem hexametri loco legitur '*vae! misero.*' Ibid. 203.

v. 89. iram movere locutio in Ovidi carminibus usitatissima cf. Trist. I 1, 103. II 21. Fast. V 539. ex Pont. IV 14, 16. Met. VIII 355.

v. 104. iudiciis meis: Art. am. II 416. ex Pont. III 5, 52. '*tuis*' III 3, 16.

v. 109. sociare cubilia cum aliquo: Met. X 635.

v. 114. tepidus puellae sinus appellatur Art. am. II 360. III 622.

v. 120. comam premere Am. I 10, 6. III 13, 25.

v. 128. oscula ferre = oscula dare Met. VII 729. ex Pont. I 4, 50.

v. 135: '*omnes Peleus pater impleat annos*'.

Cf. Her. VII 163:

'*Ascaniusque suos feliciter impleat annos*'.

Trist. II 161:

'*Livia sic tecum sociales compleat annos*'.

III 3, 29:

'*si tamen implevit mea sors, quos debuit, annos*'.

v. 139. Locutio in taedium verti item de amore dicitur Am. II 19, 25.

In octava heroide haec adnotanda videbantur:

v. 4. iusque piumque: Art. am. I 200.

v. 5. quod potui: similiter '*quod potuit*' Met. IV 684 et in versus initio Fast. V 472.

v. 6. femineae manus cf. '*feminea manu*' Her. VI 52. XI 20.

v. 7. '*quid facis Aeacide?*' Eodem modo incipiunt hi versus Her. V 115: '*quid facis, Oenone?*' et ex Pont. IV 3, 29. Cf. etiam ex Pont. I 6, 43.

v. 9. surdior freto: similiter Met. XIII 804 '*surdior aequoribus*'.

v. 12. nurus: de hoc vocabulo Loersius recte '*Nurus*', inquit, '*pro quibuscunque nuptis et latiore significatione pro quibuscunque feminis, Ovidio inprimis solemnis vox*'. Cf. ex Pont. III 2, 56. Met. II 366 permultos alios locos.

v. 13. parcius: Art. am. III 30.

v. 15. pia cura: Amor. II 16, 47.

v. 23. vela parare: Met. XIII 224.

v. 30. instare similiter adhibetur Met. IV 685. VII 323. X 568.

v. 32. tradere = in matrimonium dare Met. XIV 336.

v. 46. pars militiae Met. VII 483. XI 216.

v. 52. causam dare ex Pont. IV 4, 40. Met. V 174. XI 781.

v. 53. iugulo aperto Met. XIII 693.

v. 57. pariter cum: haec locutio Ovidio in deliciis fuit. ex Pont. I 10, 37. II 2, 7. Met. II 610. 698. III 92. 99. VI 272. X 294. XIV 662. 850.

v. 61. flendo diffundere iram: similiter Met. IX 142 '*flendo dolorem diffundere*'.

v. 79. scindere capillos: vide III 79.

v. 87. caelestis facere iniquos: similiter '*deos facere iniquos*' Fast. V 299.

v. 88. De locutione '*vae miserae*' hoc loco versus posita cf. III 82.

v. 93. captare colla lacertis: similiter Met. VI 429 '*captantia collum bracchia*'.

v. 96. thalamos parare: Met. VI 658.

v. 108. lacrimis obortis: De huius locutionis usu ovidiano disseruit Antonius Zingerleius in libello, qui inscribitur: '*Ovidius und sein Verhältniss zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern*' II p. 72. Ad exempla ab illo conlata etiam addi potest Amor. I 4, 61.

v. 111. stupere malis: Trist. I 1, 32

resque locusque:

Amor. I 4, 54. Trist. I 1, 92.

ignara manu: similiter Met. VII 421 *ignara dextra.*

De nona heroide haecce libet proferre:

v. 1. tituli eadem notione, qua '*gloria, decus, honos*' etiam Her. II 68. X 130. Met. VIII 433.

v. 4. decolor: Art. am. III 130. ex Pont. III 2, 54. Met. IV 21.

v. 5. series inmensa laborum: ex Pont. I 4, 19.

v. 8. labes de morum pravitate dicitur ex Pont. I 2, 145. II 3, 22. 7, 49. IV 8, 20.

v. 13. pacare eandem notionem habet Met. VII 405. ex Pont. III 9, 28.

v. 15. se debere alicui: Met. II 653. VII 48.

v. 16. Solis utramque domum: similiter Fast. II 136 '*solis utrumque latus*'.

v. 28. rapidus equus appellatur etiam ex Pont. III 1, 8. Fast. V 592.

v. 32. siqua voles apte nubere: consimilis est locus Fast. III 393 '*nubere siqua voles*'.

v. 39. fibrae = hostiae exta etiam Met. XI 248. XV 136. 580.

simulacraque inania: Met. III 668.

v. 47. De verbi sentire notione Loersius haec animadvertit: '*Ovidius eius verbi usum hac significatione in deliciis habet*' additis Art. am. III 593. Met. XV 823. Fast. II 135. Trist. III 8, 14. II 229.

v. 47. peregrinos amores cf. Her. I 76 '*peregrino amore*'.

v. 60. solidis toris cf. Met. XV 230 '*solidorum tororum*'.

v. 67. Eodem modo adiectivum crudus usurpatur ab Ovidio Met. IV 240 et ex Pont. I 2, 111.

v. 73. pertimescere frequens est apud Ovidium vocabulum, sicut Art. am. I 14. Her. V 66. Met. I 638. IX 445 ex Pont. III 1, 156. Fast. VI 244.

v. 76. rasilis Met. VIII 318.

v. 79. digitis torquere stamina: similiter '*stamina pollice torquere*' Met. XII 475.

v. 85. elidere fauces: Met. XII 142 '*faucem*' XIV 738.

v. 86. infantem manum: eodem modo Ovidius voce '*infans*' utitur Met. IV 518 '*infantia ossa*' Ibid. 227 '*guttura infantia*'.

v. 88. vasto pondere cf. Fast. V 82 '*pondera vasta*'.

v. 95. fecundo vulnere cf. Met. IX 70 '*vulneribus fecunda suis*'.

v. 99. '*male confisus*'. Adverbium male eodem modo

Ovidio ubivis usitatum velut Met. II 148. X 438. ex Pont. II 201. Ibid. 85. Fast. VI 785.

v. 111. hirsuti leonis vellera: similiter Met. XIV 207 '*hirsuti mori leonis*'. Fast. II 339 '*hirsuta leonis vellera*'.

v. 114. ferus pro vocabulo '*fera*' positum est ab Ovidio etiam Met. VIII 355. 382. 400. 422, ubi aper calydonius eodem nomine appellatur.

v. 116. vix satis apta eodem versus loco Her. II 112.

v. 124. invitis oculis ex Pont. I 9, 4. Met. VI 628.

v. 132. nomen deponere: Met. XII 543.

v. 135. Vocabulum admonitus Ovidio in deliciis fuit; et quidem nonnisi ablativus numeri singularis '*admonitu*' ab eo videtur esse usurpatus. Cf. Rem. 729. Met. III 566. IX 324. XII 360. XIV 465. Trist. III 6, 30. ex Pont, I 2, 54. 3, 8. II 4, 18. 11, 14. IV 2, 26. Fast. III 36. 612.

v. 157. exigere ferrum per praecordia; eodem modo dicitur Met. IV 734 '*exigere per ilia ferrum*'.

v. 159. deprecor hoc unum eodem versus loco occurrit Met. II 98.

v. 166. frater adempte: Fast. IV 582.

In duodecima heroide haec digna iudicavi, quae in medium proferrentur.

v. 3. dispensare: Met. VI 278.

v. 13. harena pro '*litore arenoso*' etiam dicitur Met. VIII 869. XII 38 et '*harenae*' XI 56.

v. 14. anhelatos ignes: Met. VII 116.

v. 16. immemor idem quod '*ingratus*' significat etiam Met. XV 122.

v. 21. exprobrare alicui aliquid Met. XIII 69.

v. 27. bimaris Met. V 407. VI 419. VII 405.

v. 30. premere toros Her. X 56. '*sedilia*' Met. V 317.

v. 38. indicio prodi suo: Her. XI 72.

v. 40. premere vomere colla boum: similes loci exstant Met. I 124. VI 24. VII 211. XII 77. XIV 819.

v. 45. semina populos genitura: similiter Met. XV 375 '*semina virides generantia ranas*'.

v. 53. Locutio '*longe esse*' pro illa: '*nihil prodesse*' etiam adhibetur Met. VIII 435.

v. 57. male saucia: cf. IX 99.

v. 61. mane erat: versus initio etiam Met. XI 710 ponitur.

v. 63. aversaque[1]) in ora: similiter Met. II 770 '*oculos avertere*' V 179 '*vultus avertere*' XV 587 '*avertere faciem*'.

v. 74: '*inque tua est vitaque morsque manu*'
similiter loquitur Ovidius Met. VIII 335:

'*in manibus vestris vita est aetasque parentis*'.

v. 84. Adiectivum facilis saepe ab Ovidio de diis propitiis usurpatur, velut Met. V 559. IX 736. ex Pont. IV 4, 34.

v. 85. vanescere: frequentatum Ovidio verbum cf. Her. I 79. Amor. II 14, 41. III 7, 31. Trist. I 2, 107[2]).

v. 88. marmorea in aede: Her. VII 99.

v. 95. venenatus: Met. XIV 413. Ibid. 252. 479. Trist. II 566.

v. 99. terrigenaeque fratres: Met. III 18. VII 141. Her. VI 35: '*terrigenas populos*'.

v. 101. vigil eadem significatione qua '*custos*' invenitur Met. XIII 370.

squamae crepitantes: Met. XV 725.

v. 102. verrere humum: Met. VI 706.

v. 119. meritas subire poenas: similes locutiones habes Met. V 200 '*ex merito poenas subire*' VIII 689 '*meritas luere poenas*'.

v. 133: ausus es o.: idem versus initium est Her. I 41.

v. 141. pertimescere cf. IX 73.

v. 157. laniare capillos: Amor. I 7, 11. Met. V 472. VI 531 '*laniare crinem*' II 350 '*comas*' IV 139.

v. 163. serpentem perdomare: Met. I 447.

v. 170. tener somnus: Art. am. II 546.

v. 182. inultus = impunitus: Met. IV 426.

v. 187. vilis cf. III 41.

---

1) Sic, non '*adversa*', quod parisinus et guelferbytanus praebent, cum fragmento vindobonensi legendum videtur.

2) Hoc loco cur Merkelius scripserit '*gravidae evanescere nubes*' non intellego.

v. 188. partus saepe pro liberis dicitur, velut Met. VI 712. VIII 451. ex Pont. II 8, 48.

v. 194. fidem addere: Met. XV 361.

Cum v. 206:

'*hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum est*'

Loersius apte comparavit Trist. V 9, 20:

'*hoc quoque quod memores possumus esse, tuum est*'.

Ex epistula tertia decima haec commemorare libet:

v. 9. praecipitem rapere aliquem: Met. III 694.

v. 18. oculis sequi: Met. XII 529.

v. 20. vultus detinere similiter Trist. I 3, 91 '*oculos detinere*'.

v. 23. tenebris obortis Trist. I 3, 91. Cf. Met. II 181 '*sunt tenebrae obortae*'.

v. 33. pampinea hasta pro thyrso dictum Met. III 667. Cf. VI 593. XI 7.

v. 35. matres phylaceides cf. III 71.

v. 36. sinus pro vocabulo '*vestis*' ponitur etiam Her. V 71. Met. X 386 (Fast. II 310. V 28) et saepius.

v. 37. saturare Met. XI 166.

v. 45. faciem culpare alicuius: Met. XI 332.

v. 51. subire = in mentem venire Met. II 755. XI 542. XII 591. XV 307. Trist. I 3, 1. III 8, 38. ex Pont. I 2, 61. 8, 32. 9, 11. III 1, 153 aliis locis.

v. 81. nudo ferro = stricto gladio: Met. VI 666.

v. 86. subsistit lingua: Fast. I 538 '*clamor*': Met. I 207.

v. 95. virum lugebit ademptum: eodem modo Met. XI 273: '*fratrem lugebit ademptum*'.

v. 113. tura dare: Met. III 753. X 683. ex Pont. IV 9, 33. Fast. IV 334.

v. 123. subire: cf. v. 51.

v. 138. lacrimosa funera: Met. XIV 746.

v. 140 sq.: '*arma dabit*
arma dabit'.

De Vries l. l. p. 93: '*Eiusmodi*', inquit, '*repetitionis, ut ultima pentametri verba prima sint hexametri insequentis multa*

apud Ovidium exempla exstant veluti Art. am. I 536 sq. "*quid mihi fiet? ait | Quid mihi fiet? ait*" Fast. III 724 sq. "*carminis huius opus | Carminis huius opus*".'

v. 152. referre vultus cf. Met. XIII 443.

v. 163. comitem venire Her. IV 103.

In quarta decima heroide haec adnotare satis erit:

v. 13. morientia ora: Met. X 194 '*vultus moriens*' X 391 '*morienta lumina*' VI 228 '*manu moriente*' V 117 '*digitis morientibus*' XII 423 '*morientes artus*'.

v. 17. admonitu cf. IX 135.

v. 25. praecinctae lampades auro: cf. Her. IV 71 '*praecincti flore capilli*' Art. am. I 223: '*praecinctus arundine frontem*'. Met. XIV 395 '*fulvo cervix praecingitur auro*' I 699 '*pinuque caput praecinctus acuta*' (idem Her. V 137) XIV 638 '*pinu praecinti cornua*'.

v. 29. mero dubii. Recte Loersius: '*dubii, titubantes*' ex Pont. IV 3, 32 '*dubio sub pede*'.

v. 32. premunt: cf. XII 30.

v. 43. excutere metum: Met. III 689.

v. 51. laniare capillos: cf. XII 157.

v. 56. facere ad = '*convenire, idoneum esse*' plurimis locis occurrit apud Ovidium Her. VI 128. Amor. I 2, 16. III 11, 42. Trist. I 10, 44. Art. am. III 540.

v. 57. quin age: cf. Met. VII 70 '*quin aspice*'.

v. 69. sopita bracchia Fast. III 306 '*sopitas manus*'.

v. 72. expellere somnos: Met. VIII 828 '*expellere quietem*'.

v. 85. permanere saepissime ab Ovidio adhibetur veluti Her. V 6. Met. IX 788. XII 24. XIV 142. XV 305. 328. ex Pont. II 6, 35. Fast. V 33.

v. 89. liquidi parentis cf. Met. I 704 '*liquidas sorores*'.

v. 103. pererrare: verbum frequentatum Ovidio Amor. II 16, 5. Met. III 6. IV 497. VII 640. IX 645. XI 465. XII 209. XV 53. Fast. I 234.

v. 124. tribuere munera: cf. Met. II 45. IX 402.

v. 127. lacrimis perfundere Her. XI 115. Met. II 339. Fast. V 407.

Haec igitur, quae huc usque protulimus, haud parvo videntur esse momento ad carmina illa Ovidio vindicanda, cum singula vocabula singulasque phrases in indubitatis quoque poematis plus minusve frequenter recurrere videas.

§ 4.

Sed restant etiam graviora. Contemplantibus enim nobis syntaxis leges, quales in heroidibus observatae sint, Ovidi ubique vestigia licet cognoscere. Quod quam verum sit, quo magis patefiat, iam quaedam huc pertinentia adiungamus.

Casuum autem usum ovidianum Petrus Hau dissertatione Monasteri anno 1884 edita tam accurata tractavit diligentia, ut de eo pluribus disceptare supervacuum sit. Quam dissertationem qui evolverit, in heroidibus, quantum ad casuum usum attinet, nullos soloecismos inesse persuasum habebit, propter quos unam vel plures earum ab Ovidio profectas esse negemus necesse sit.

Itaque iam ad alia quaedam syntaxis capita selecta transeamus. Sciendum autem est omnia ea exempla, quae e Tristium carminibus et ex epistulis ex Ponto datis proferemus, deprompta esse ex Iacobi dissertatione rostochiensi anno 1870 conscripta '*de syntaxi in Ovidii Tristibus et epistulis ex Ponto observata*'.

Ac primum quidem paucissima de constructione generis, numeri, personae addamus.

Vocabula '*uterque*' et '*quisque*' in epistulis ex Ponto et Tristibus cum plurali numero non coniunguntur, nisi ad primam vel secundam personam respiciunt[1]); idem observamus iu heroidibus: XIII 130 '*vestras quisque redite domos*', quod contra XIV 118 legimus '*accipiat lacrimas utraque turba meas*'. cf. II 43 '*si de tot laesis sua numina quisque deorum vindicet*'. IV 28 '*et pariter nostrum fiet uterque nocens*'. 114 '*in magnis laesi rebus uterque sumus*'. V 46 '*miscuimus lacrimas maestus uterque suas*'. VI 62 '*et eiusdem simus uterque parens*'. X 74 '*dum nostrum vivet uterque*'.

1) Cf. Iacobi l. l. p. 6. In metamorphosibus aliter res se habet. cf. Draeger: Synt. lat. hist. l^2 p. 173.

Nomini singularis numeri appositionem pluralis numeri adiectam videmus: III 149 '*nostram tua munera, vitam*'. cf. ex Pont. III 4, 91 '*Histrum flumina pota Getis*'.

Transitum a singulari ad pluralem numerum in eadem sententia, quem Iacobi p. 7 inprimis apud Ovidium frequentem esse ait, hisce habes locis: III 51 sq.:

'*tot tamen amissis te compensavimus unum*
tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras'.

107 sq. VIII 97 sq. IX 53. XII 35. 113. 189. 197. XIII 27. 154. XIV 9. II 53. 105. IV 17. 175. VI 71. VII 3 sq. 82. 126. 177. X 97. XI 29. 97.

De temporum usu peculiari id inprimis videtur notandum, haud raro apud Ovidium infinitivum perfecti pro infinitivo praesentis positum inveniri partim metri causa partim eadem significatione qua Graeci ἀόριστον χρόνον solent adhibere.[1]) In heroidibus haec exstant exempla III 25 '*non repetisse parum*' 110. 117 sqq. 131 sq. VIII 26. IX 60. 75. XII 4. 164. 186. XIV 87. cf. II 28. 142. IV 88. V 136 etc.

Plusquamperfectum, ubi ex communi usu temporum perfectum adhibere solet[2]), hisce locis deprehendimus: III 40: '*quae dare debueras, accipere illa negas?*' 150. VIII 41. XII 4. XIII 5. 56. 57. I 38. IV 32. 94. VI 3.

Addam quaedam de usu negationum. Saepissime Ovidium ab usu vulgari discedentem particulis negativis '*non*' et '*nec*' pro '*ne*' et '*neve*' usum esse Iacobi p. 18 sqq. permultis exemplis demonstravit. In sex illis heroidibus haec reperiuntur III 91 '*nec tibi turpe puta precibus succumbere nostris*'. 138 '*nec miseram lenta ferreus ure mora*'. VIII 23 '*nec tu mille rates sinuosaque vela pararis, nec numeros danai militis*'. Cf. IV 129 '*nec terruerint animos nomina vana tuos*'. V 87. 99. VI 157 alia id genus.

Quod ad liberiorem vocabulorum conlocationem attinet, Ovidium omnibus poetis praestitisse maxime in pentametro Iacobi p. 21 confirmavit. Et praepositiones quidem ita po-

---

1) Cf. Iacobi l. l. p. 15 sq. Draeger l. l. I² p. 256.

2) Cf. Iacobi p. 16. Draeger I² p. 260 tria eius modi exempla e Properti carminibus attulit.

sitas esse, ut non modo unum verbum inter eas et substantiva interiectum sit, sed etiam compluria tum in carminibus ab illo exule compositis tum in heroidibus licet videre. Cf. III 11 '*alter in alterius iactantes lumina voltum*'. 20 '*quamlibet ad Priami munus itura nurum*'. 100 '*saepius in domini serva vocata torum*'. 105 '*perque trium fortes animas*'. XIII 61 '*perque, quod ut videam canis albere capillis, quod tecum possis ipse referre, caput*'. VI 20 '*in mihi promissi parte recepta tori*' alia.

Deinde haud raro coniunctiones verbis, quae iis reguntur, postpositas invenimus; et quidem hae sunt:

ne: III 19 '*caperer ne nocte timebam*'. 77 '*exagitet ne me*'. Cf. ex Pont. II 10, 8. III 1, 130. Trist. I 5, 38.

que: III 106 '*pro patria cum patriaque iacent*. VIII 107: '*in maesto procubuique toro*'. XII 14 '*audacis attuleratque viros*'. XI 40 '*audaci supposuitque manu*'. 84 '*in solis destituique locis*'. ex Pont. I 4, 38. Trist. II 244 alia.

et: VIII 118 '*vidit et in speculo*'. XIII 143 '*dabit et mandata*'. XI 16 '*possidet et vitiis regna minora suis*'. ex Pont. I 4, 20. Trist. I 4, 10 alia.

ut: XII 34 '*ardet ut ad magnos pinea taeda deos*'. XIV 40 '*frigida populeas ut quatit aura comas*'.

nec: XII 154 '*tuta nec*'. ex Pont. I 1, 44. Trist. I 5, 8.

Superest, ut de usu coniunctionum '*quamvis*' et '*forsitan*' breviter dicamus. Utraque apud Ovidium persaepe cum indicativo coniungitur, quod in altera non nisi poetis in altera his quoque raro facere licuit.[1]) In heroidibus, de quibus ambigitur, duo eiusmodi loci occurrunt: III 8 '*quamvis haec quoque culpa tua est*' et IX 131 '*forsitan uxor erit*'. cf. ex Pont. I 1, 15 '*quamvis non est*'. Trist. I 2, 11 '*quamvis distamus*' et Her. II 14 '*nec tenuit cursus forsitan iste tuos*'. Amor. I 6, 45 '*forsitan et tecum tua nunc requiescit amica*'. Art. am. I 483 '*forsitan et primo veniet tibi littera tristis*' alia.

Reliquum est, ut ad ea animum attendamus, quae Lehr-

1) Cf. Draeger l. l. II² p. 769 et I² 306.

sius in elocutione heroidum censuit esse reprehendendum. Primum versus IX 141:

'*semivir occubuit in letifero Eueno*'

contempletur. Nam Lehrsius l. l. p. CCXXIII qamquam Ovidius adiectivo '*letifer*' saepe usus sit, tamen eum numquam Euenum contendit ita appellaturum fuisse. Neque enim hoc flumen, sed Herculem ipsum Nesso mortem intulisse. Quod non recte videtur dixisse, cum Nessum Deianirae vim non paraturum fuisse apparet, nisi flumen ei locum sat idoneum dedisset. — Deinde si vir ille doctissimus ab eiusdem epistulae auctore nonum metamorphoseon librum lectum esse manifestum non fieri dixit, nisi leviore elocutionis consensu, ita ut imitatio evitari magis videatur, quam adfectari, hoc illi respondeamus necesse est, quod iam saepius diximus, eam Ovidi esse rationem, ut se ipsum frequenter exscribat, quare hoc argumentum minime posse urgeri.

In duodecima heroide cum Lehrsius multa videret inesse, quorum in Senecae tragoedia, quae Medea inscribitur, similia reperiantur, epistulae auctorem Annaei vestigia pressisse statuit. Quod contra multo probabiliora ea esse crediderim, quae Fridericus Leo observationum criticarum de Senecae tragoediis p. 169[1]) de hac adfinitate protulit: Duodecimam heroidem ab Ovidio profectam esse; cum vero sciamus eum non multo ante quam heroides scriberet, tragoediam suam composuisse cumque constet Ovidium non singulos tantum versus, sed totos locos ex uno in alterum carmen interdum ita transtulisse, ut eandem rem similibus verbis iterum narraret, elegiacos versus heroicis mutans vel invicem, veri esse simillimum eum in conscribenda illa epistula suam ipsius de Medea fabulam expressisse; Senecam autem se ad hanc, non ad epistulam applicasse.

Neque vero Lehrsio possum accedere, cum versus eiusdem carminis 111 et 115—126 barbarum et impolitum prae se ferre sermonem contendat. Considerandum enim est,

1) Est volumen prius eius opusculi, quo anno 1870 Senecae tragoedias recensendas et emendandas curavit.

veteres non eadem semper honesta et turpia iudicasse quae nos. Versui autem 111:

'*virginitas facta est peregrini praeda latronis*'

similes respondent sententiae apud Ovidium velut II 115:

'*cui mea virginitas avibus libata sinistris*
castaque fallaci zona revincta manu.'

et VII 91:

'*his tamen officiis utinam contenta fuissem*
et mihi concubitus fama sepulta foret.'

Videmus igitur etiam in elocutione heroidum non esse offendendum.

VII.

Deveni ad ultimam quaestionis partem eamque non levissimam, qua de arte metrica heroidum verba facienda erunt. Eandem rem annis abhinc quattuordecim ab Eschenburgio programmate Catharinei lubeckani non omni ex parte feliciter promotam esse iam supra animadverti. Itaque meum esse putavi in hanc materiam denuo inquirere et ita quidem inquirere, ut Eschenburgi cura diligenti adiutus cognoscerem, num in illorum sex carminum, de quibus hoc loco agitur, metris aliquid inveniatur, propter quod illa Ovidio abiudicentur necesse sit.

§ 1.

Facturus operae pretium mihi videor, si primum, quatenus dactyli vel spondei in singulis versuum pedibus admissi sint, exposuero. De qua re ab Eschenburgio immerito neglecta praeclare disputavit Drobisch, celeberrimus ille philosophus lipsiensis, qui in Actis societatis regiae saxonicae vol. XVIII (1866) p. 76[1]), Ovidi Met. I v. 1—546 et XXIII (1871) Amorum librum primum in disquisitionem vocavit. In primis autem nominandus est Carolus Hultgren, qui Ob-

---

1) p. 75—139. '*Ein statistischer Versuch über die Formen des lateinischen Hexameters*'.

servationes metricas in poetas elegiacos graecos et latinos Lipsiae anno 1871 et 1872 edidit et commentationem scripsit insertam Actis societ. reg. saxon. XXIV (1873) p. 1—28.

Is Observatt. I p. 24 recte '*quo maior est*', inquit, '*versuum numerus, eo evidentius probari contendimus, quem usum auctor in pangendis carminibus sit secutus*'. Libet igitur heroides III. VIII. IX. XII—XIV a Lachmanno suspectas complecti, ne si singulas conemur contemplari, e minore versuum numero nimis incerta efficiantur. Secundum Drobischium autem spondeum littera s, dactylum littera d signavimus.

Atque sex illis heroidibus quadringenti septuaginta quattuor hexametri continentur; e quibus duo spondiaci (VIII 71 et XII 121), de quibus hic non agitur, et unus corruptus (IX 133) et tres dubii (IX 81. 83. XIV 113) elidantur necesse est, ita ut quadringenti quinquaginta duo remaneant. Formarum igitur, quae sedecim esse possunt in hexametro, usus hac tabula inlustratur:

dssdd	67	14,3
ddsdd	66	14,1
dsssd	48	10,3
dddsd	44	9,4
dsddd	40	8,5
ddssd	37	7,9
ddddd	37	7,9
dsdsd	34	7,3
sdsdd	27	5,7
sddsd	24	5,1
sdssd	9	2,0
sdddd	8	1,7
ssdsd	8	1,7
ssssd	8	1,7
ssddd	6	1,3
sssdd	5	1,1
Summa	468	100

In Heroid. I. II. IV—VII. X. XI, quibus sescenti septemdecim hexametri continentur, haec ratio intercedit inter dactylos et spondeos:

ddsdd	93	15,1
dssdd	89	14,5
dsdsd	69	11,2
dsssd	66	10,7
dsddd	62	10,0
ddssd	57	9,2
ddddd	46	7,5
dddsd	41	6,6
sdsdd	20	3,2
sdssd	19	3,1
sdddd	11	1,8
ssssd	11	1,8
sddsd	10	1,6
ssddd	9	1,5
sssdd	7	1,1
ssdsd	7	1,1
Summa	617	100

Utramque igitur epistularum speciem consentire videmus, etiamsi formarum ordo prorsus idem non sit. Hoc enim parum interesse etiam comprobatur tabulis, quas Hultgrenius Observatt. I p. 26 sq. de Amoribus, Arte amandi, Remediis, Fastis, Tristibus, Epistulis ex Ponto, Ibide confecit. Illud vero gravissimum, quod eas quoque heroides, quae in suspicionem vocatae sunt, ea lege adstrictas esse liquido apparet, quam ab Ovidio severissime servatam esse Hultgrenius l. l. his verbis docuit: '*Ovidius neglectis omnibus rebus, summo studio id agit, ut quam maxima sit vis principiorum dactylicorum, quam minima spondiacorum*'. Quod contra Catullum, Tibullum, Propertium hanc rationem minime secutos esse idem vir doctus p. 14 fuse demonstravit. Deinde si ex Drobischi collatione, quam habes l. l. XVIII p. 79 sqq. neque ab Ennio,

a Cicerone in Phaenomenis, a Lucretio I 1—562, a Vergilio in Aeneide I 1—561. IV 1—565, in Georgicis I—II 127, ab Horatio in Epistulis, neque a Manilio in Astronomicon I 1—561 a Persio, a Iuvenale I—III 222, a Lucano in Pharsaliis I 1—561, a Silio Italico in Punicis I 1—560, a Valerio Flacco in Argonauticis I 1—460, a Statio in Thebaide I 1—560, denique a Claudiano in Raptu Proserpinae I—II 276 principia hexametri dactylica aeque adamata esse perspicimus, permiro sane casu factum esset, ut versificator ille, a quo sex illas heroides profectas esse perhibent, ad eandem normam strenue se derigeret, quam ex omnibus poetis latinis potioribus, quotquot aut liberae reipublicae aut principatus temporibus floruerunt, ab uno Ovidio observatam esse constet. Quonam quis alio modo hanc rem explicari posse putet, nisi ipsum Ovidium carmina illa composuisse concedat? An vero tibi ille Ovidi imitator iam ante Drobischium tam accuratas de versuum ovidianorum forma quaestiones videtur instituisse, ut hanc legem inventam in heroidibus scribendis diligenter sequi posset? Quod serio neminem dicturum esse confido. Sed ne quis in eo offendat, quod hexametros elegiacos cum epicis conferre non dubitavimus, Hultgrenium Observatt. II p. 1 sqq. luculenter demonstrasse addam, hexametrum epicum Latinorum excepto bisyllabo fine praeponderante, fere nihil distare ab hexametro elegiaco. — Quod de dactylorum et spondeorum usu in versu heroico, idem de pentametro Ovidi dicendum esse iamiam patefiet. Primum examinabimus Heroid. III. VIII. IX. XII—XIV, in quibus quadringenti septuaginta duo pentametri insunt. Per se patet non nisi de priore pentametri parte agendum esse, cum in posteriore parte eius versus solo dactylo locus sit. Hanc autem tabulam legentium oculis proponere liceat:

dd	156	33,1
ds	213	45,2
sd	57	12,1
ss	46	9,6
Summa	472	100

Heroidum I. II. IV—VII. X. XI, in quibus sescenti septemdecim pentametri occurrunt, ratio hac tabula inlustretur:

dd	189	30,6
ds	325	52,7
sd	65	10,5
ss	38	6,2
Summa	617	100

Hic quoque igitur principia dactylica multo frequentiora esse manifestum est. Haud piget comparare tàbellas ab Hultgrenio Observatt. I p. 30 sqq. de ceteris Ovidi carminibus amatoriis compositas:

	Amor.			Ars.	Remed.
	I.	II.	III.		
dd	25,5	27,0	26,7	29,9	30,2
ds	56,3	47,5	50,6	51,7	50,6
sd	10,3	13,3	8,7	9,5	10,6
ss	7,9	12,1	14,0	8,9	8,6

Non minus in illis carminibus quam in heroidibus formas ad hunc modum ordinandas esse patet: ds dd sd ss, quod contra in Fastis, Tristibus, Epistulis ex Ponto forma ss interdum ante illam sd ponatur necesse est. Ab hac vero ratione Catullum et Tibullum aliquantum recedere videmus, Propertio cum posterioribus Ovidi carminibus congruente.[1])

His perpensis iam alia quaedam contemplemur, quae ad versuum formam pertinent.

Recte Hultgrenius Observatt. II p. 8 sqq. metri et repetitione et decussatione magnopere poeseos vim augeri dictionemque ornari, animadvertit. Utramque autem figuram in heroidibus suspectis saepissime deprehendimus. Atque anaphoram metricam hisce locis habes: III v. 13 et 25:

1) Ex iis, quae adhuc disseruimus, satis clarum est, Lehrsium l. l. p. CCXLI sq. sine idonea causa in forma versuum quartae decimae heroidis 95 (dssdd) 107 (ssssd) 110. 120. 122. 130. (ss) offendisse. Cf. etiam Eschenburgium l. l. p. 21 sqq.

'ipsĕ Mĕnoētĭădēs tūm cūm trādĕbăr ĭn aurem
nēc rĕpĕtīssĕ părūm, pūgnās nē rēddăr Achille.'

v. 37. 39. 41. 77. 79; 97. 99. VIII v. 35. 37; 59. 61; 81. 83. 85. IX v. 1. 3; 23. 25; 47. 49; 75. 77; 91. 93; 125. 127. XII 5. 7; 47. 49; 51. 53; 65. 67; 73. 75. 77; 133. 135; 149. 151; 173. 175. XIII v. 11. 13; 67. 69; 105. 107. XIV v. 95. 97; 103. 105.

Hanc figuram in Ovidi carminibus adeo crebram esse, ut haud raro metra, quae apud hunc illumve poetam alias rarissima leguntur, aliquoties sese excipiant, Hultgrenius l. l. II p. 9 sq. docuit. Satis habeo eos locos adferre, qui in epistulis indubitatis obvii, ab Hultgrenio omissi sunt. Sunt autem hi: I v. 7. 9. 15. 17. 21. 23; 57. 59; 99. 101. II v. 5. 7. 17. 19. 45. 47. 69. 71. 75. 77; 137. 139; 141. 143. IV v. 19. 21. 23; 35. 37. 39. 41; 63. 65. 67; 87. 89. 93. 95; 135. 137. 139. V v. 5. 7; 21. 23; 75. 77; 81. 83; 95. 97; 137. 139. VI v. 27. 29; 47. 49; 57. 59. VII v. 3. 5; 137. 139. 141; 161. 163; 177. 179. X v. 1. 3; 49. 51; 67. 69; 97. 99; 127. 129. 131. 133. XI v. 15. 17; 81. 83; 91. 93; 103. 105; 121. 123. 125. 127.

Ut singulorum hexametrorum, sic totorum distichorum repetitionem metricam invenimus: Her. III 37—40:

'cūmquĕ tŏt hīs — sēd nōn ŏpŭs ēst tĭbĭ cōniŭgĕ — coniunx
ēx ăgămēmnŏnĭīs una puella trĭbus.
sī tĭbĭ ab Ātrīdē prĕtĭō rĕdĭmēndă fŭissem,
quāē dărĕ dēbŭĕrās, accipere illa negas?'

133—136. VIII v. 31—34. 39—42. 77—80. IX v. 137—140. XII v. 75—78. 91—94. 141—144. 193—196. XIII v. 135—138. XIV v. 15—18.

Cuius generis Hultgrenius II pag. 17. e tolis Epistularum ex Ponto libris triginta septem exempla desumpsit. In heroidibus, de quibus hodie non ambigitur, haecce exstant exempla: I v. 47—50. 83—86. IV v. 21—24. 65—68. V v. 131—134. VI v. 95—98. VII v. 57—60. 109—112. 137—140. 165—168. 169—172. X v. 77—80. 127—130. XI v. 41—44. 49—52.

Quin etiam per tria disticha repetitio continuatur:

XII 125—130 et VII 151—156. Cf. etiam Rem. am. 193—198.

At contra duplex et metri et verborum repetitio, quam Hultgrenius l. l. II pag. 9 multo rariorem esse dixit, in quattuordecim primis heroidibus obviam non fit.

Antithesium metricarum altera, qua hexameter dactylicus prioris distichi a versibus spondiacis proximi distichi excipitur (cf. Hultgren. Observatt. II pag. 11) in quattuordecim primis heroidibus non occurrit nisi XIV 105. 107:

'Īnăchĭ quō prŏpĕrās? ĕădēm sĕquĕrisque fugisque
Pēr sēptēm Nīlūs pōrtūs ēmīssus in aequor'

altera, qua contrarium efficitur III 115. 117:

'sī quīsquām quaerīt, quārē pūgnare recuses,
tūtĭŭs ēst ĭăcŭīssĕ tŏrō, tĕnŭisse puellam.'

Conferas etiam exempla, quae Hultgrenius attulit, prioris contentionis: Amor. I 13, 33. 35. II 5, 41. 43. Art. amat. III 233. 235. Remed. 805. 807. Fast. II 59. 61. III 501. 503. Trist. I 5, 67. 69. Epp. ex Pont. IV 10, 73. 75 et posterioris Amor. III 3, 37. 39.

De decussatione seu chiasmo metrico Hultgrenius multa quidem dixit l. l. II pag. 11 sqq., ita tamen, ut etiam plura omiserit.

Atque in sex illis heroidibus haec illius figurae genera exstant:

1) Formam sddd subsequitur forma dsss IX 153. 155:

'hēu dēvŏtă dŏmūs! sŏlĭō sĕdĕt Agrios alto.
ēxŭlăt ĭgnōtūs Tўdēūs gērmanus in oris.'

Hultgrenius citavit ex Pont. III 6, 15. 17. Catull. 104, 1. 3. Prop. IV 6, 63. 65. Accedit Heroid. V 59. 61.

2) Forma ddsd coniungitur cum forma ssds XII 169. 171:

'nōn mĭhĭ grātă dĭēs nōctēs vĭgĭlantur amarae
quāē mē nōn pōssūm, pŏtŭī sōpire draconem.'

in epistulis indubitatis hoc genus non adhibetur, at Amor. I 4, 15. 17. II 2, 1. 3; 9, 35. 37. III 11, 31. 33.

3) Forma ddds comitem sibi sumit formam sddd XIV 45. 47:

'nōn ĕgŏ fālsă lŏquār. tĕr ăcūtūm sustulit ensem.
ādmōvī iŭgŭlō — sĭnĕ mē tĭbĭ vera fateri.'

porro IX 165. 167 et VII 15. 17.

4) Formam ddss praecedit forma ssdd XIII 41. 43:

'quā pōssūm squālōrĕ tŭōs ĭmĭtata labores.
Dўspărĭ Prĭămĭdē dāmnō fŏrmose tuorum.'

Hultgrenius adnotavit Amor. II 2, 61. 63. Fast. V 79. 81. VI 215. 217. Epp. ex Pont. IV 8, 53. 55. 12, 43. 45. Trist. II 437. 439. Adde Amor. I 3, 13. 15.

5) Forma dssd iungitur cum forma sdds III 1. 3:

'Quām lĕgĭs ā rāptā Brīsēĭdē littera venit
quāscūnquē aspĭcĭēs lăcrĭmāē fēcere lituras.'

XII 161. 163. XIII 121. 123; 153. 155. II 63. 65. Amor. I 2, 43. 45; 7, 53. 55. II 2, 23. 25 et saepius.

6) Forma ddss ponitur ante formam ssdd III 25. 27:

'nēc rĕpĕtīssĕ părūm. pūgnās, nē reddar Achille.
vēnērūnt ād tē Tĕlămōnĕ et Amyntore nati.'

Hultgrenius II pag. 12 laudavit Amor. II 7, 5. 7. Adde etiam Art. am. II 377. 379; 667. 669. III 117. 119; 797. 799.

7) Formae sdsd adnectitur forma dsds VIII 101. 103:

'pārs hāec ūnă mĭhī: cōniūnx bĕnĕ cessit Orestes.
Pўrrhŭs hăbēt cāptām rĕdŭce ēt vīctore pavente.'

XII 19. 21. XIV 123. 125. I 73. 75. VII 121. 123.

Hultgrenius comparavit Art. am. I 151. 153. Fast. I 267. 269. Epp. ex Pont. III 3, 41, 43. IV 1, 3. 5; 16, 27. 29. Prop. II 1, 3. 5.

8) Forma dsds copulatur cum forma sdsd VIII 79. 81:

'ĭpsă egŏ nōn lōngōs ĕtĭām tūm scissa capillos
nām cōniūnx ăbĕrāt. nē nōn pĕlŏpeia credar.'

II 13. 15; 143. 145. Hultgrenius contulit Prop. I 13, 19. 21; 20, 17. 19. II 9, 47. 49. IV 22, 3. 5. Ovid. Fast. II 703. 705. Trist. II 413. 415. V 4, 35. 37. Epp. ex Pont. II 5, 9. 11.

9) Formae sdds comes est forma dssd VIII 17. 19:

'ān sīquīs răpĭāt stăbŭlīs ārmenta reclusis
sīt sŏcĕr ēxēmplō nūptāē rĕpĕtitor ademptae.'

XII 131. 133. Cf. Amor. III 3, 33. 35; 5, 29. 31. Art. am. I 207. 209. II 463. 465. III 47. 49; 609. 611 et saepius.

10) Formam sssd comitatur forma ddds IX 17. 19:

'quōd tē lātūrūm est cāēlūm prĭŭs ipse tulisti
quīd nĭsĭ nōtĭtĭā ēst mĭsĕrō quāēsita pudori.'

XII 145. 147. XIII 21. 23. V 23. 25. Hultgrenius II pag. 13 commemoravit etiam Amor. III 6, 15. 17. ex Pont. II 3, 73. 75. Prop. I 15, 17. 19.

11) Formae dsss socia est forma sddd XIII 31. 33:

'nēc mĭhĭ pēctēndōs cūrā est prāēbere capillos.
ūt quās pāmpĭnĕā tĕtĕgīssĕ Bĭcorniger hasta.'

Hultgrenius attulit Trist. I 5, 21. 23. adde Amor. I 4, 63. 65; 12, 9. 11. aliaque id genus.

12) Formam ssds sequitur forma ddsd IX 55. 57:

'Māēāndrōs, tērrīs tŏtĭēns ērrator in isdem
vīdĭt ĭn hērcŭlĕō sūspēnsă mŏnilia collo.'

I 13. 15. VI 151. 153. nec non Amor. I 2, 27. 29.

13) Formae sddd adiungitur forma ddds VIII 23. 25:

'nēc tū mīllĕ rătēs sĭnŭōsăquĕ vela pararis
sīc quŏquĕ erām rĕpĕtēndă tămēn. nēc turpe marito.'

Hultgrenius contulit Ovid. Amor. III 11, 41. 43. Art. am. II 225. 227. Prop. II 8, 3. 5.

14) Forma dsdd excipitur a forma ddsd VIII 11. 13:

'quīd grăvĭŭs cāptā Lăcĕdāēmŏnĕ serva tulissem?
pārcĭŭs Ān̄drŏmăchēn vēxāvĭt Ăchaia vixtrix.'

113. 115. XII 59. 61; 139. 141. XIV 129. 131. I 97. 99. IV 67. 69; 129. 131; 169. 171. V 3. 5; 51. 53; 55. 57; 121. 123; VII 55. 57; 85. 87. XI 51. 53. Hoc genus tum in suspectis tum in indubitatis epistulis longe est frequentissimum.

15) Forma ddsd consociatur cum forma dsdd VIII 91. 93:

'nōn tĭbĭ blāndĭtĭās prīmīs, mĕă mater in annis;
nōn ĕgŏ cāptāvī brĕvĭbūs tŭă colla lacertis.'

IX 51. 53. XIV 127. 129. IV 145. 147. V 31. 33; 53. 55. VI 9. 11. VII 57. 59; 143. 145.

§ 2.

Transeo ad caesuras. In quo capite eo brevius licet commorari, quia iam complures in eo satis videntur desudasse. Ne quid desideretur, commemoro programma a Michaele Schmidtio '*de Ovidii versibus hexametris*' Cliviae anno 1856 emissum, quippe quo pagg. 3—19 non agatur nisi de caesuris, quae in metamorphoseon libris inveniuntur. De heroidum caesuris egerunt Eschenburgius l. l. pagg. 11—13 et 19 et Theodorus Birtius l. l. pagg. 386—392. Hi quidem praeclare demonstrarunt, quod ad caesuras attinet, omnes heroides cum ipsius Ovidi arte quam maxime concinere. Id vero in primis notandum est, caesuram tertiam trochaicam, a qua Horatium Luciliumque si omiseris, quo quis fuit praestantior poetarum, eo accuratius illum abstinuisse Lucianus Mueller docuit[1]), in heroidibus suspectis, si Eschenburgi verbis credere volumus[2]), non nisi auxiliariam esse, quod quidem haud parvi momenti videtur esse ad illa carmina Ovidio vindicanda.

Neque vero usquam in Heroidibus I—XIV caesura semiseptinaria cum una semiternaria coniungitur.

De pentametro non habeo, quae addam, cum eius caesuram semper penthemimeren esse constet.

§ 3.

Iam paullo copiosius rhythmi nobis tractandi sunt.

Notum est, legem esse primariam, ut numeri pedum in priore versus parte quam longissime recedant ab accentu verborum grammatico. Cf. L. Mueller de re metr. pag. 205. Quam ob rem eos versus, qui omni ex parte pedestri pronuntiationi sint accommodati, minime bonos esse atque elegantes. In suspectis autem heroidibus tres tantum eius structurae versus sese offerunt et quidem III v. 37:

'*cumque tot his — sed non opus est tibi coniuge — coniunx.*'

XII v. 75:

'*perdere posse sat est, si quem iuvet ipsa potestas.*'

1) In aureo illo libello, quem de re metrica composuit p. 102.
2) p. 19.

v. 107:

'*illa ego, quae tibi sum nunc denique barbara facta.*'

Sed in his non est offendendum, cum et in metamorphosibus teste Schmidtio[1]) et in ceteris Ovidi carminibus tales versus reperiantur. Cf. modo Amor. I 6, 57:

'*aut ego iam ferroque paratior ipse.*'

II 8, 5. Art. amat. I 293 et multos alios locos. In indubitatis epistulis haec exempla occurrunt II 29:

'*unum in me scelus est, quod te scelerate recepi.*'

IV 114:

'*sola nec haec ad nos iniuria, venit ab illo.*'

V 111:

'*et minus est in te, quam summa pondus arista.*'

Altera lex est, ut in fine ordinis metrici, numerus eius proprius diligenter retineatur, qui quidem turbatur, si ultima ordinis syllaba constat vocabulo monosyllabo, vocabulo non monosyllabo praecedente, nisi hoc est pyrrhichiacum. Cf. L. Mueller l. l. p. 208 sq.

Atque in sex illis heroidibus priores omnium hexametrorum partes legitimis clauduntur vocabulis.

Neque vero ab ea consuetudine videmus declinatum esse, ut secundus pes non dactylicis et minus etiam spondiacis verbis effici soleat, si sit semiseptenaria caesura[2]), exceptis duobus locis XIII v. 13:

'*Hectora nescio quem timeo: Paris Hectora dixit*'

et v. 93:

'*sors quoque nescio quem fato designat iniquo.*'

Quod ea de causa tolerabile putandum est, quia vocabula '*nescio*' et '*quis*' in unum quasi videntur coaluisse. Sic etiam Ovidius in metamorphosibus eadem locutione usus est VI 382:

'*sic ubi nescio quis lycia de gente virorum.*'

VII 62:

'*quid quod nescio qui mediis incurrere in undis*'

et saepius.

---

1) L. l. p 20.

2) Cf. L. Mueller l. l. p. 212.

Quod ad clausulas hexametrorum attinet, inter heroides et inter carmina ovidiana ne minimum quidem interesse accuratis quaestionibus patefactum est a Schmidtio[1]), ab Hultgreno[2]), ab Eschenburgio[3]) de hac re institutis, ita ut iam verbum addere non opus sit.

Hultgrenius I p. 30 sq. et Eschenburgius p. 11 et 18 etiam pentametrorum ovidianorum clausulas percensentes Ovidium in carminibus, quae ante exilii tempus confecit, pentametrum semper vocabulo bisyllabo finivisse demonstrarunt. Idem in sex illis heroidibus observare licet.

§ 4.

Proximum est, ut de elisione absolvamus. In ea re iam Eschenburgius l. l. p. 2—8. 13—16 elaboravit et Ioannes Draheim Hermae vol. XIV (1879) p. 253—257[4]), qui inprimis de vocabulis in litteram m desinentibus et de iambicis egit. E quibus quaestionibus id maxime memorabile est, quod duo synecphoneseos genera alias rarissima in suspectis heroidibus omnino non inveniuntur; quorum alterum est, ubi vocabulum in litteram m caedens pyrrhichiacum in arsi brevi syllaba insequente[5]); alterum, ubi vocabulum in m exiens dactylicum brevi syllaba insequente eliditur[6]). Idem dicendum est de syllabis longis in arsi elisis.

Iam hic locus est quaedam ad rem metricam pertinentia diligentius examinare, quae a Lachmanno et a Lehrsio in singulis heroidibus vituperata sunt.

Atque in tertia epistula Lehrsius l. l. p. CCXXXI mirum esse dixit, quod inde a v. 96 usque ad finem (v. 154) nulla synecphoneseos exempla exstent, excepto v. 132 '*parentisque oculos*', simul tamen hoc fortuitum esse posse concedens. Quod contra illud monendum est, apud Ovidium elisionem

1) L. l. p. 21—24.

2) L. l. I p. 27.

3) L. l. p. 8 sq. et p. 16 sq.

4) Commentatio illa inscribitur '*De arte Ovidii*'.

4) Velut '*fĕrăm ănte tuos*' Amor. II 13, 24 vel '*quĭdĕm ĕgo*' Met. III 557.

6) Velut '*flūmĭnŭm ămores*' Amor. III 6, 101.

non tam frequenter occurrere quam apud alios poetas [1]). Praeterea consimilis elisionis usus est in quarto carmine libri primi Amorum, quod septuaginta versus complectitur. Hic elisionem non habes nisi v. 3 (ergo ego) v. 57 (me invenies) v. 63 (tantum oscula) v. 65 (verum invita).

In transcursu volo commemorare, quod ab Antonio Viertelo observatum esse Lehrsius l. l. rettulit: imperativum pyrrhichiacum in heroidibus non elidi nisi III 87 '*arma cape Aeacide*' et in reliquis Ovidi carminibus non nisi Art. am. II 489 '*age et*' Met. XII 490 '*age ait*' 309 '*fuge ad*' XIII 381: '*date et*'. Nobis enim pluribus exemplis non videtur opus esse. Nam si quis ob eam solam causam illum heroidis locum secludere velit, idem faciat necesse est in ceteris versibus modo citatis.

In octava epistula in elisiones leges, quas Ovidius secutus est, gravius peccatum esse Lachmannus l. l. p. 60 contendit, quam ut illam ab Ovidio originem duxisse credere posset. Hauptius enim in observationum criticarum libello p. 22[2]) statuerat, Ovidium longam vocalem in tertia dactyli syllaba nullam elisisse. A qua consuetudine abhorret VIII 71:

'*Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci.*'

Sed rectissime iam Birtius l. l. p. 392 hunc versum graecis vocabulis refertum esse talesque versus legem libenter frangere dixit. Certe haec res, si quidquam ponderis haberet, tantum ad unum distichon eiciendum non ad totam epistulam improbandam satis valeret. Sed primum veri maxime est dissimile textum versibus esse inquinatum, qui e vocabulis graecis, in sermone latino minus usitatis constent, tum ex iis, quae supra de heroidum fabulis exposuimus, luce clarius esse arbitror, fabellam in disticho illo commemoratam abesse non posse, ne quid in fatis Pelopidarum illo loco enumeratis requiri queat. Neque vero ullius momenti est, quod Eschenburgius l. l. p. 17 eundem versum alienum esse dixit ab arte Ovidii, qui hiatum non nisi in posteriore hexametri particula admiserit et quidem ita, ut semper nomen proprium

1) Cf. L. Mueller. de re metr. p. 282.

2) Hodie inest in Opuscul. I p. 94.

subsequatur. Haec enim lex neglecta est in metamorphosibus, e quibus Eschenburgius ipse p. 10 locos nonnullos enotavit, quibus hiatus aut in priore hexametri parte occurrat aut nullum nomen proprium antecedat. Cf. Met. IV 535 et V 312.

Similiter videtur iudicandum de iis, quae Lehrsius l. l. p. CCXXIV animadvertit, ab Antonio Viertelo in dissertatione lipsiensi '*De versibus poetarum latinorum spondiacis*' a. 1863 p. 10 sq. esse demonstratum, Ovidium nusquam in quarto pede hexametri spondiaci in trisyllabam vocem exeuntis, qui apud eum quattuordecim locis exstet, spondeum posuisse nisi semel in metamorphosibus et quidem ad autumni naturam apte depingendam[1]). Etenim quod Nasoni in vocibus latinis facere licuit, idem ei multo magis in graecis vocabulis concedere debemus. Praeterea autem res est perquam ambigua atque incerta ab exemplis paucissimis normam repetere, ad quam omnia derigantur necesse sit.

Etiam in nona epistula Lachmanuus l. l. p. 60 elisionis leges perruptas recentioris temporis indicia esse credidit. Suspicionem eius movebant vv. 131. 133:

'*forsitan et pulsa Aetolide Deianira*'
'*Eurytidosque Ioles et insanii Alcidae.*'

et v. 141:

'*semivir occubuit in letifero Eueno.*'

Apud Ovidium enim productionem et hiatum in fine vocabuli locum habere pernegavit, nisi aut in tertia arsi ita ut particula monosyllaba vel '*et*'[2]) vel '*aut*' vel '*o*' subsequatur, aut aliis versus locis graeca voce addita ita tamen, ut inter duos spondeos metrum non hiet. Ac primum quidem moneam constare inter viros doctos versum 133 vitiosum remedio adhuc egere; deinde Lachmanni rationes prorsus arbitror confutatas esse a Luciano Muellero, qui Mus. Rhen. vol. XVIII p. 88 sq. tanta exemplorum paucitate leges illas subtilissimas per se satis videri infirmas rectissime exposuit. Ceterum nihil referre, utrum syllaba producta vel non elisa

1) Est Met. I 11 '*perque hiemes aestusque et inaequales autumnos*'.
2) Talis est ille v. VIII 71.

a vocabulo monosyllabo excipiatur necne; quin etiam non magno momento esse, utrum anapaestus an spondeus subsequatur; neque vero magis apparere, cur monosyllabis '*aut*' '*et*' '*o*' concessis praepositio '*in*' ne nominibus propriis quidem statim adiunctis admitti possit. Sanae huic ratiocinationi Birtius l. l. p. 392 accessit et Lehrsius, quantum quidem ad versum 141 pertinet et ad versum 131, de quo ipse p. CCXXIV diphthongum '*de*' vocali '*a*' proximum esse animadvertit et haud raro hanc ante illum elidi. Quod quidem recte se habere manifestum fit iis exemplis, quae Eschenburgius l. l. p. 10 conlegit. Eo magis illum in versibus modo tractatis p. 17 sq. offendisse valde demiror.

§ 5.

Cum de hiatu, quatenus id fieri oportebat, iam diximus, ad alias res pergamus; et primum edisseramus de homoeoteleutis, quae nostrates '*rimorum*' nomine a medii aevi sermone petito appellare solent.[1])

Atque versus similiter consonantes apud poetas latinos inprimis elegiacos reperiri nemini erit obscurum. Modo caveas, ne ubicumque illos data opera ita figuratos esse putes. Eorum autem, qui ante me in eodem argumento versati sunt, multum mihi profuerunt Hultgrenius observationibus accuratis l. l. II p. 14—18 et Sedlmayer commentatione[2]) Studior. vindobonensium vol. II (1880) p. 293—295 inserta; quod contra nihil adiutus sum Eichneri programmate[3]) gnesnensi a. 1875, cum quia de rebus nimis minutis egit, tum quia perpauca attulit exempla.

---

1) Probe scio apud grammaticos latinos, velut apud Charisium l p. 282, 9 K., apud Diomedem I p. 447, 5 K., apud Donatum IV p. 398, 22 K., homoeoteleuti notionem paullo latius patere, quippe qui hoc vocabulo '*orationem pari verborum exitu finitam*' significare soleant.

2) Inscribitur illa commentatio: '*Die Aufeinanderfolge gleicher oder ähnlicher Versschlüsse bei Ovid*'.

3) Inscribitur '*Bemerkungen über den metrischen und rhythmischen Bau, sowie über den Gebrauch der Homoeoteleuta in den Distichen des Catull, Tibull, Properz und Ovid*'.

Atque commemoratione dignissimum videtur, quod Sedlmayer p. 295 pares hexametrorum clausulas non inveniri ait, nisi Art. am. III 275. 277. Trist. III 1, 65. 67 et in quattuordecim primis heroidibus non nisi IX 111. 113. In eadem epistula v. 47. 51 in tribus distichis primus et tertius hexameter similem exitum habent. Cuius generis Sedlmayer haec attulit exempla Amor. II 2, 17. 21. Art. am. I 97. 101. 543. 547. quae quidem aliis locis possunt augeri, cum eos tantum versus contulerit, qui plane eodem verbo finiantur.

Longe aliter rem se habere in pentametro, iam ex eo sequitur, quod ultima syllaba huius versus semper ictu notatur. Ac duos vel tres pentametros similiter consonantes in sex illis heroidibus hisce locis habes III 14. 16 (dedi — capi). 28. 30. 32 (comes — preces — pares). 60. 62 (fuit — erit). 84. 86 (pedes — opes). 108. 119 (meis — velis). 128. 130 (feram — agam). 132. 134. 136 (suis — meis — tuis). 140. 142. 144 (mori — tui — mori). 146. 148 (eat — erat). 152. 154 (pete — iube). VIII 32. 34 (avus — avus). 102. 104 (erit — dedit). 106. 108. 110 (malo — toro — viro). IX 14. 16 (humum — domum). 68. 70 (equas — eras). 86. 88 (manum — humum). 94. 96 (comis — suis). 154. 156 (premit — fuit). XII 18. 20 (suo — meo). 108. 110 (dedi — tuli). 122. 124 (tuis — viris). 142. 144 (erat — erat). 154. 156 (meis — comis). 201. 203 (neges — opes). XIII 38. 40 (gerat — ferat). 112. 114 (meo — mero). 126. 128 (aquis — datis). 138. 140. 142 (erit — dabit — erit). 152. 154 (tuos — meos). XIV 12. 14 (cadam — piam). 34. 36 (erat — erat). Inspicias innumerabilia illa exempla, quae Sedlmayer ex omnibus Ovidi carminibus attulit. Satis habeo e secunda heroide versus huc pertinentes apponere: 12. 14 (notos — tuos). 48. 50 (meis — tuis). 62. 64 (venit — fuit). 70. 72 (viri — dei). 108. 110. 112 (dedi — fui — regi). 140. 142 (iuvat — iuvat).

Porro ii commemorandi sunt loci, quibus trium distichorum primus pentameter cum tertio clausulae similitudine congruat. Sunt autem hi: III 72. 76. (tuos — colos). 104. 108 (meis — meis). VIII 12. 16 (nurus — manus). 26. 30 (toro — tuo). IX 26. 20 (Amor — minor). 44. 48 (adest — potest). 96. 100 (suis — iugis). 114. 118 (tui — sui). 150.

154 (foris — meis). 170. 174 (habet — habet). XIII 28. 32 (mori — tegi). 42. 48 (agam — tuam). 86. 90 (mali — viri). XIV 48. 52 (tuo — sono). 62. 66 (generis — meis). 94. 98 (pedes — times). 106. 110 (duci — mei). Sedlmayer eius generis exempla cum in omnibus Ovidi carminibus, tum frequentissime obviam fieri in Fastorum libris comprobavit. Sed hic quoque eius collectio permultis aliis versibus augeri potest.

Nec vero rarius occurrunt pentametri in medio et in fine similiter consonantes. Quales habes in sex illis epistulis his centum quinque locis: III 34. 40. 44. 46. 58[1]). 78. 88. 90. 104. 120. 134. 136. 138. VIII 10. 24. 26. 30. 40. 66. 70. 86. 96. 108. 110. IX 4. 8. 28. 54. 64. 78. 94. 96. 100. 104. 114. 140. 144, 160. 166. XII 4. 10. 12. 24. 30. 34. 36. 38. 52. 64. 80. 86. 90. 92. 98. 114. 126. 128. 132. 140. 146. 152. 154. 156. 166. 178. 192. 210. XIII 2. 6. 8. 26. 48. 50. 54. 60. 82. 86. 90. 94. 98. 110. 112. 114. 116. 126. 136. 166. XIV 26. 30. 40. 48. 54. 58. 60. 62. 66. 72. 90. 92. 106. 110. 116. 118. 126.

Hultgrenius l. l. II p. 16 omnibus Ovidi pentametris diligenter examinatis plus quintam, fere quartam partem inter centenos pentametros adseverat exitum cum medio versu consonantem exhibere. Quod idem de sex illis heroidibus dici posse, comprobatur hac ratiuncula:

$$472 : 100 = 105 : x.$$

1) Eodem referendus est v. 76:

'*et minuent plenos stamina nostra colos*'

Nam formam '*plenos*' in etonensi traditam ab Ovidio ipso profectam et '*plenas*', quod guelferbytanus exhibet, ex '*plenos*' falso correctum esse mihi persuasi. In parisino enim inest rasura in hoc vocabulo: plen||s. Sedlmayer autem '*plenos*' dicit videri fuisse, quod quidem ad hanc formam defendendam idoneum est. Praeterea vocabulum '*colus*' generis masculini est etiam apud Catullum 64, 311:

'*laeva colum molli lana retinebat amictum*'.

Propert. IV 1, 72:

'*non sunt ah dextro condita fila colo*'

IV 9, 48 '*lydo colo*'. Quae cum ita se habeant, versum heroidis ad hunc modum scribendum esse contendo:

'*et minuent plenos stamina nostra colos*'.

§ 6.

Iure Hultgrenius l. l. II p. 18 a poetis elegiacis eo minus pentametros in medio et in fine consonantes vitari potuisse statuit, quo magis epitheta ab substantivis ita seiungere studerent, ut alterum in fine prioris, alterum in fine alterius partis conlocarent. De artificiosa hac substantivorum epithetorumque dispositione fuse disputavit Gualtherus Gebhardi in dissertatione regimontana a. 1870, quae inscribitur '*de Tibulli Propertii Ovidii distichis quaestionum elegiacarum specimen*'. Is de heroidibus, quas silentio non praeteriit, non multum aliter videtur iudicasse quam Lehrsius, quippe cuius cultor esse atque discipulus.

Iam uno cum illo primum substantivum littera *a*, attributum eius littera *b*, alterum substantivum eius littera α, attributum eius littera β signamus; lineola autem perpendiculari | incisionis locus indicatur.

E tabula a Gebhardio dissertationi suae adiuncta perspicitur, apud Tibullum, Propertium, in Ovidi Fastis, Tristibus, Epistulis ex Ponto datis formam *b* | β*a*α esse usitatissimam; eadem in heroidibus III. VIII. IX. XII—XIV saepissime occurrit, viginti tribus locis. In carminibus autem amatoris forma *b*β | *a*α primum obtinet locum, quae in illis heroidibus decies septies adhibetur. Neque vero in eo offendendum esse, quod Gebhardius p. 17 non indignum videri ait observatu, epistulas III. XII. XX ea figura carere; sed parvo versuum, quae in singulis insunt, numero id factum esse facile potest demonstrari; modo animadvertas Art. am. I v. 163—294, ubi non solum haec figura, verum etiam prior illa *b* | β*a*α prorsus desideratur.

Id mihi multo magis urgendum videtur, quod figura aβb|α, quae omnium — sunt autem viginti quattuor — una apud Ovidium non exstat, etiam in heroidibus non legitur. Quod cum ad sententiam suam non bene quadraret, Gebhardius callide silentio praeteriit. Nec id quidem adnotavit formas aβα|b et aαb|β, quae semel vel bis in Ovidi carminibus. obviam fiant, et formas bβa|α, bβα|a,

b α β | a, a α β | b apud illum rarissimas in heroidibus nusquam reperiri.

Sed haec quidem hactenus! Restant alia quaedam, de quibus hic breviter absolvamus.

Lehrsius enim l. l. p. CCXXXI in ea tertiae heroidis parte, quam putavit esse tollendam, disticha ita saepe structa esse animadvertit, ut pentameter a coniunctione '*que*' vel '*et*' incipiat; quam structuram in altera carminum parte raram esse. At mihi in sexaginta versibus, quos Lehrsius antiquos esse ait, quinque, in nonaginta quattuor versibus, quos eicere voluit, tredecim tantum eius generis exempla inesse deliberanti differentia illa videtur levissima; praesertim cum in centum duobus versibus, quos continet carmen Trist. I 3 duodecies, et in duodenonaginta versibus, quos complectitur carmen Trist. III 3 decies quater eandem distichorum conformationem deprehenderim.

Similiter sese habet Eschenburgi sententia, qui l. l. p. 28 mirum esse dixit, quod pentametri nonae epistulae 72. 74. 76 et paullo post 82 et 86 infinitivo perfecto et vocabulo iambico clauderentur. Effugit enim eum versus 82:

'*ante pedes dominae pertimuisse minas*'

partem posteriorem interpolatam esse e versu 74:

'*diceris et dominae pertimuisse minas.*'

Deinde illud considerandum est, Ovidium saepenumero duos pentametros continuos ad hunc modum formasse, quos multos Eschenburgius ipse contulit, neque quicquam causae excogitari posse, cur idem in tribus continuis non faceret.

Vix esse opus videtur commemorare, Lachmannum in v. 28 octavae heroidis:

'*orabat superos Leda suumque Iovem*'

haesitasse, quia vox '*Leda*' littera finali correpta a constanti Nasonis consuetudine abhorreret. Locos autem, quibus hanc sententiam infringi sciebat, Art. am. I 744:

'*quantum ad Pirithoum Phaedra pudica fuit*'

et Amor. III 4, 42:

'*Leda fuit nigra conspicienda coma.*'

sine ulla idonea causa in Commentario ad Lucretium p. 406 ita immutavit, ut pro nominibus propriis vocabula '*Cressa*' et '*Lyda*' insereret. Quam rationem a Luciano Muellero Mus. Rhen. XVIII p. 88 merito videmus reprehendi.

Difficile est de versu 113 epistulae quartae decimae iudicare:

'*ille ferox solio solus sceptroque potitur.*'

Nam Ovidium semper '*potĭtur*' media correpta dixisse, quod Lachmannus l. l. p. 59 observavit, Eschenburgius l. l. p. 20 plane demonstravit. Neque vero illum versum adulterinum esse Lucianus Mueller de re metr. p. 45 sq. satis videtur comprobasse. Sed dubium esse nequit, quin Ovidius etiam '*potītur*' media longa dicere potuerit, quam prosodiam Augusti aetate etiamsi non usitatam, tamen legitimam fuisse, nemo facile negabit.

Iam finem scribendi facturo breviare mihi liceat, quae hac dissertatione de origine heroidum disputavi. Postquam Ovidi ipsius aliorumque testimonia, quae sunt rarissima, in hac re flocci facienda esse demonstrare studui, illorum sex carminum III. VIII. IX. XII—XIV, de quorum origine nondum satis liqueret, compositionem et argumenta, elocutionem et artem metricam ita tractare conatus sum, ut nullam idoneam causam inveniri posse patefacerem, propter quam unam vel plures heroidum Ovidio abiudicemus necesse sit. Quamquam autem scripsi, non ut volui, sed ut virium tenuitas permisit, tamen spero fore, ut quattuordecim primas epistulas, poetae sulmonensis arte ingenioque dignissimas, ab ipso profectas esse nemo iam infitias ire audeat.

INDEX LOCORUM TRACTATORUM.

	pag.
Homer.	
A 298. 299.	54.
Sophocl.	
Trachin. 488. 489.	26 not. 2.
Hermione	68. 74.
Theocrit.	
Ἡρωίναι Berenices encom. Idyll. XXIV	8 not. 5.
Vergil.	
Aeneid. I 393.	5.
III 194.	4.
VI 803.	6.
Eclog. IX 54.	4.
Catalepton	8 not. 2.
Horat.	
Epist. II 116.	4.
Art. poet. 139.	5.
334.	6.
Propert.	
I 11, 23. 24.	51.
IV 8.	9.
Ovid.	
Heroid. I—IV. XIII. XIV init. V—XII init.	38.
I. II. IV—VII. X. XI.	110 sqq.
III. VIII. IX. XII—XIV.	109 sqq.
I	57—65.
2.	16.
5. 6.	44. 63
7. 8.	57 sq.
7—10.	39.
10.	39 not. 1. 58.
11—22.	40.
12.	90.
15.	64.
17. 18.	59.
25—36.	63.
25.	59.
26.	91.
28.	59. 63.
33.	63.
34. 36.	59.
37.	64.
39—46	59.
43.	64.
45. 46.	41.
51—56. 59—62.	63.
63.	64.
63—66. 67.	60.
71—74.	40.
75. 76.	42. 60.
76.	91.
77. 78.	43.
81. 82.	60. 64.
83. 84.	46.
85. 86.	63.
87—90.	60.
87. 88. 91.	64.
91. 92. 94.	61.
98.	62. 65.
99. 100.	62. 64.
101. 102.	62.
103. 104.	62.
II. 15—18.	40.
29.	118.
59. 60.	43.
91—98.	45.
98.	45 not.
103. 104.	42.
115. 116.	108.
133—144.	43.
III.	19—22. 48—55. 95 sqq.
1.	49 not.
3—10.	22.
4.	89.
9. 10.	49.
11. 12.	54.
14.	89.
15.	42.
17—20.	19 sq.
20.	51.
23.	59.
24.	54.
27—29.	49.
27—38. 28.	55.
31—38.	20. 49 sq.
37. 38.	42.
37.	117.
44.	93.
45—50.	50.
51. 52.	105.
52.	51.
53. 54.	55.
57. 58.	52.
58.	87.
59. 60.	41.
61—82.	52.
67—82.	21.

		pag.
	69.	47.
	70.	55.
	73.	55.
	74.	87.
	75.	89.
	76.	124 not. 1.
	80.	93.
	87. 88.	21.
	92—97.	53.
	96—154.	119 sq.
	101. 102.	55.
	103—110.	47.
	105. 106.	51.
	107. 108.	105.
	109.	53.
	111—118.	43.
	113. 114.	53.
	117—120.	54.
	117. 118.	89.
	126.	53.
	129. 130.	49.
	129.	54.
	131.	87.
	136.	55.
	143. 144.	43.
	147. 148.	53.
	149.	105.
	151.	54.
IV.		80.
	67.	16.
	114.	118.
	125. 126.	44.
V.		65.
	37. 38.	41.
	43—52.	46.
	71. 72.	42.
	111.	118.
	133. 157. 158.	47.
VI.	27.	42.
	49. 51.	91.
	57—64.	46.
	73. 74.	40.
VII.	17. 18.	42.
	91. 92.	44. 108.
	105.	37.
	167. 168.	47.
	181. 182.	43.
VIII.		23 sq. 67—74. 97 sq.
	3.	88.
	11.	89.
	13.	72.
	16.	89.
	19.	72.
	23.	72.
	28.	126.
	31—36.	67.
	33. 45.	72.
	49. 50. 49—54.	73.
	53.	93.
	55.	73.
	54. 55.	69.
	67—74.	73.
	67.	87.
	70.	90.
	71.	120.
	76.	90.
	77.	74.
	77—80.	24 not. 1.
	83. 84.	44.
	87.	73.
	105—110.	39.
	112.	72.
	117—122.	47.
	121.	90.
IX.		24—29. 74—79. 98 sqq.
	1.	76.
	2.	26.
	7. 8. 14—16. 17. 18.	76.
	21. 22.	77. 90.
	21.	21 not. 4.
	25. 26.	76.
	29.	93.
	35—38.	40.
	36.	87.
	38.	26 not. 4., 40 not.
	39. 40.	39.
	42.	90.
	45. 46.	76.
	49—52.	78.
	55.	90.
	58.	26 not. 4.
	61.	77.
	67.	26 not. 4., 77.
	68.	90.
	69. 70. 71. 72.	77.
	72.	126.
	73.	28. 90.
	74.	126.
	74—83.	27.
	76.	126.
	77.	91.
	77—80.	24 not. 1.

	pag.
82.	126.
84.	27.
85. 86.	77.
86.	126.
87. 88. 89. 90.	77.
90.	26 not. 4.
91—94.	78.
93.	26 not. 4.
99. 100.	78.
105.	27.
108. 109.	91.
115.	78.
121.	93.
128.	87.
131. 133.	121.
135. 136.	41.
136.	91.
140.	78.
141.	121.
141. 142.	78.
143—168.	28.
146—168.	43.
151—157.	78 sq.
161.	78.
167.	93.
X. 15. 11.	42.
31. 32.	41.
76—150.	43.
77. 78. 99—103.	44.
XI. 4.	91.
21. 22.	44.
29. 30.	39.
91. 92.	42.
111—116.	37.
XII.	29—33. 79—82. 100 sq. 107.
1. 2.	80.
3—5.	44.
11. 12.	31. 81.
15—20.	45.
15.	81. 87.
17.	81.
23.	12 not.
29—56.	81.
35.	91.
39—44. 45—48.	81.
53. 54.	31.
57—61.	39.
61. 65. 67—92.	81.
75.	117.
85.	91.
93. 94.	81.
93.	87.
95—100. 101—108.	81.
103. 104.	31.
107.	118.
109. 110.	47.
111.	107.
113—116.	81.
115—126.	30 not. 1; 107.
117.	86.
121—126.	45. 81.
128.	91.
129. 130.	82.
136.	30 not. 2.
141. 142.	41.
153. 154.	42.
158.	91.
163—166. 163.	81.
165.	86.
168—171.	32 not.
169. 170.	39.
170.	39 not. 2.
175—178.	43.
180.	32.
189. 190. 191. 192. 193. 194. 201. 202.	33.
201.	91.
207.	32.
208.	12 not.
XIII. 5—7.	45.
7—14.	46.
13.	118.
24.	87.
29. 31.	92.
32.	93.
33. 43.	86.
63—84.	41.
93.	118.
93. 94.	83 not. 1.
103—110.	39.
123. 124.	41.
130.	104.
135. 143.	87.
149. 150.	41.
151—158.	83.
153. 154. 155. 156.	35.

	pag.
159—164.	47.
166.	92.
XIV.	36 sq. 83 sq. 103.
17. 18.	41.
37. 38.	
39. 40.	92.
51.	42.
59—62.	36.
86.	92.
87—108.	37.
91.	92.
103.	
113.	127.
118.	104.
125—128.	37.
131. 132.	
XV—XXI.	7.
Sapphus Epist. 18.	17.
Amor. I 4.	119.
4, 40.	91.
6.	29.
6, 57.	118.
7, 31. 32.	56.
54. 55.	92.
9, 39. 40.	56.
10, 53. 54.	
13, 1. 2.	
II 5, 30.	89.
39. 40.	56.
8, 5.	118.
11, 31. 32.	89.
18.	10—16.
III 4, 42.	126.
Med. fac. 18.	93.
60.	45 not.
Art. am. I 187. 188.	90.
293.	118.
325.	93.
471.	
744.	126.
II 8.	90.
219.	
268.	93.
345. 346.	2 sqq.
345.	14.
400. 401.	57.
561—589.	56.
III 285.	92.
Rem. am. 161. 162.	5.
281.	93.
Metam. I 117.	92.
526.	
636.	
748—II 408.	80.
772.	93.
II 286. 287.	74.
III 470. 471.	90.
IV 136.	91.
VI 382.	118.
VII 62.	
817.	91 not.
IX 451.	90.
529—569.	14.
583.	92.
XII 7.	72.
XIII 182.	
313—335.	75 sq.
738.	92.
Trist. I 3.	126.
3, 58.	89.
69.	92.
II 341.	91.
381—406.	69 sqq.
III 3.	126.
V 2, 34.	92.
Ibid. 259. 260.	74.
400.	90.
439.	82 not.
ex Pont. I 2, 64	90.
II 7, 4.	92.
III 1, 158.	89.
3, 84.	93.
Fast. I 177—180.	5.
603.	91.
II 743.	89.
III 20.	91.
483.	93.
IV 512.	90.
593.	89.
V 620.	92.
Halieutica	7 not. 3.
49—81.	7.
Persius V 49. Lucan. I 636. Iuvenal. V 31—33. Valer. Flacc.	6.
Argon. III 323. 324.	51.
Priscian. II p. 544, 4 K.	3.
Scholiasta ad Ibin	3 not. 2.
Ioannes Sarisberiensis Polycraticus I.	4—6.
I 12.	3 sq.

THESES.

1) Sophocl. Electr. vv. 173 sqq. ad hunc modum legendi sunt:

θάρσει, μοι, θάρσει, τέκνον.
ἔνι μέγας οὐρανῷ
Ζεὺς ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει.

2) Sophocl. frgm. 413 (apud Nauckium) ita scribendum puto:

Δωδῶνι ναίων Ζεὺς ὁ κύριος βροτῶν.

3) Eurip. Alcest. v. 553 legendum:

ὀθνεῖος, ἄλλοις δ' ἦν ἀναγκαία δόμοις.

4) Eiusd. fabul. v. 827 ita videtur emendandus:

κουράν τε δυσπρόσωπον.

5) Versum Vergili Eclog. IV 5 apud Eusebium Orat. a Constantino ad sanctor. coetum habit. c. 19 ita in graecum sermonem translatum fuisse arbitror:

οὗτος ἀρ' αἰώνων ἱερὸς στίχος ὄρνυται ἡμῖν.

VITA.

Ioannes Tolkiehn natus sum die XXVII mensis Decembris a. h. s. LXV. Regimonti Borussorum patre Augusto, matre Malvina e gente Bender, quos adhuc vivos colo. Fidem profiteor evangelicam. Per novem annos frequentavi gymnasium regimontanum, cui celebre nomen est 'Collegium Fridericianum', ubi autumno anni MDCCCLXXXIII maturitatis testimonium adeptus sum. Per decem fere semestria studiis philologicis operam navavi. Sodalis fui proseminarii regii per unum semestre, per quinque semestria seminarii regii. Audivi viros inlustrissimos:

Dehio, Erdmann, Friedlaender, Hirschfeld, Jeep, Jordan (†), Ludwich, Ruehl, Schade, Schoene, Schubert, Thiele, Walter.

Quibus omnibus de me meritis gratias ago quam maximas semperque agam.

Examen, quod vocant, rigorosum absolvi die XIV. mensis Iunii.

ERRATUM.

Lege p. 6, v. 26 *sed fortius* pro *sed velocius.*

JUL 5 1906
1906
DEC
1907

Quaestionum ad Heroides ovidianas s
Widener Library 007032690
3 2044 085 214 906